Domine, de ea cupiditate, qua me vides quotidie quærere, non ea ſolum, quæ neceſſaria ſunt, verum etiam ſuperflua, & commoda, & ad victus elegantiam ſpectantia, & fortaſſe etiam magnifica, quæ filii ſæculi vix ſibimet audent permittere? Probas quidem Domine, ſi ex miniſterio meo victum meum ſumpſero, cetera vero ſevere interdicis, & minitaris te aliquando rationem expetiturum. Tuus igitur amor, vel timor jugulet in me cupiditatem iſtam, quæ ſeſe inter arctos cancellos, quos illi præſcribis, continere non patitur. *Idem.*

Viro Apoſtolico non alia voluntas eſt, quã Domini ſui.

Qui vere Miniſter eſt Apoſtolicus nullo habet in diſcrimine locum hunc, vel alium: quærit ſemper Domini voluntatem, neque propria illum agitat voluntas. Cum Dei mandatum non ſatis illi manifeſtum eſt, humilitas ejus loquitur pro pauperibus, efficitque, ut vicos, & pagos obſcuriſſimos celeberrimis civitatibus præferat, quia meſſis ibi plerumque copioſior eſt, & fructus ſunt minus obnoxii verbis ſuperbiæ, & vanitatis. Domus maxime ſimplices, omnibuſque vitæ commoditatibus carentes, vulgo ſanctiſſimæ habentur, ideoque illæ, quæ Apoſtolis digniores ſunt, illæ ſunt, qua Jeſus Chriſtus deſtinat miniſtris ſuis, ubi illi conſtanter permanere debent, quin tædio afficiantur. Quantumvis ſolida ſit virtus Miſſionarii, non ideo ſatis probata fuit per omnia pericula, quæ ſæpe inveniuntur in domibus Principum, vel peccatorum. Tutius latet apud virum bonum, vel per pauperem. Humilitas, & mortificatio, quæ ibi exercetur, ſunt jam conciones eloquentiſſimæ, & efficaces. *Moralis novi Teſtamenti P. la Neuville. Tom. 3.*

Eleemoſyna per amorem J. C. miniſtris ejus collata ſemper efficit locupletiores.

Eleemoſyna quæcumque illa tandem ſit nunquam pauperes facit, quæ vero fit propter amorem J. C. ſemper efficit locupletes. Conſcientiæ pax, gaudium Spiritus Sancti comitantur quocumque Apoſtolos, ac in omnibus locis ſedem ſuam figunt, ubi nullum formalem obicem inveniunt. Domini Verbum explicitum eſt, qui recipit Diſcipulum, cooperatur operi illius, & accedit in partem mercedis ejuſdem. Miraculum peractum in gratiam viduæ Sareptanæ adhuc inſtauratur crebro in lege gratiæ. Quot benedictiones etiam temporales promerentur Miſſionarii precibus ſuis in domos, quæ ſunt eorum perfugium? Cæleſtium divitiarum ſequeſtres, non ne poterunt terræ bona procurare egenti familiæ, quæ in ipſa paupertate ſua eleemoſynam erogaret? Nunquam te liberalitate vinci ſinis, o Deus! reddis centuplum in hoc etiam mundo, eorum quæ in nomine tuo erogantur. *Idem.*

Quomodo fideles eſſe valeant participes meritorum & mercedis Apoſtolorum.

Non omnes Apoſtoli ſunt, neque Domini Prophetæ, S. Paulus ait; poſſunt tamen omnes participes fieri meritorum, atque mercedis Apoſtolorum, atque Prophetarum. Quo pacto? Illis opem ferendo eleemoſynis, illos auctoritate fulciendo, illos exiſtimatione ſua protegendo, laboribus eorum compatiendo, illos in tribulationibus conſolando, conſtanter cum illis, & pro illis preces offerendo. Per hæc opera miſericordiæ Laicus ſæpe cum Sacerdotio ſe conſociatum nanciſcitur per interiorem ſecretamque unctionem, quæ illum reddit æque acceptum in oculis Dei, atque laborioſiſſimum, frugiferumque miniſtrum. Heu! ſi intelligere velimus quouſque pergat meritum Chriſtiani aliqua ex parte aliquid conferentis ad inſtitutionem Regni Dei, ad converſionem animæ unius, quanta feſtinatione conaremur conferre aliquid ad opus ita glorioſum, & ſanctum? Heu! Opes, quæ in noſtrum cedunt exitium, ſæpe ſufficerent ad integras Provincias Domino lucrandas. Quod intra anni unius ſpatium in alea, & ſpectaculis inſumis, utilius inſumeretur, facerentque te Apoſtolum immenſi infidelium, vel peccatorum numeri. Converſio illorum tuam confirmaret; & fortaſſe conſummaret opus tuæ prædeſtinationis ad gloriam. *Moralis Novi Teſtamenti P. la Neuville, tomo 3.*

Si viri Apoſtolici non ſatagunt ſe ſe idẽtidem colligere, & ad preces ſe cõferre, Periculum adeunt, ut ſe ipſos perdant.

In Evangelio nihil eſt inutile, omnia ibi erudiunt, omnia ædificant animam attentam, ſcientem legere illud ſecundum ſpiritum, quo ſcriptum fuit. Quot utilia argumenta in ſola circumſtantia de Apoſtolis poſt miſſionem redeuntibus! Se ſe congregant apud Jeſum. Licet opera Caritatis, & Zeli per ſe ſancta ſint, ſemper metuendum eſt tamen, ne, ſi diligens habeatur cura, nimis diſſipent, & imminuant aliquando ſenſibilis pietatis unctionem. Ad hunc ſcopulum evitandum ſemper invigilemus ſpiritui, & cordi noſtro; ne ſinamus unquam trahi impetu naturæ noſtræ. Labores, ſtudium, occupationes vitæ activæ nos licet invitos diſtrahunt. Curæ igitur ſit nobis, ut identidem interpellemus per Orationem exteriores noſtri miniſterii exercitationes; ne avertamus unquam, ſi fieri poteſt, oculos ab intuitu divini Inſtitutoris noſtri, qui nos applicat operi; interior illius præſentia nos fulciet inter labores, & nos confirmabit. Redeamus ſæpe ad Jeſu Chriſti pedes noſtras reparaturi vires, eumque in rebus ambiguis conſulturi, opem impetraturi, noſtrum fervorem ſervaturi, vel excitaturi, ſi quando per negligentiam, vel infirmitatem noſtram tepeſceret. *Idem.*

Ratio ab Apoſtolis reddenda Deo de omnibus iis, quæ acciderint in ipſorũ miſſione.

Apoſtoli accurate, ac prolixe narraverunt Salvatori omnia, quæ illis in Apoſtolica ſua excurſione contigerant. Hoc exemplar eſt Miniſtrorum Evangelii, eorumque omnium, qui extrinſecus operam locant, ut proximo opitulentur. Reddite rationem Jeſu Chriſto: videlicet 1. Coram illo ad examen vocate, utrum ratio, quæ vos ad agendum impulit, pura fuerit, & intentio recta: utrum lapſi fueritis ob nimiam feſtinationem, an ob nimiam cunctationem: utrum omnis ratio noſtra æque fuerit cum *ſerpentis prudentia, & columbæ ſimplicitate* conjuncta. 2. Deo uni acceptam referte gloriam ſucceſſus, quem ille tribuit laboribus veſtris, quin inde vobis aliquam particulam vindicetis. 3. Gemite coram illo propter cæcitatem, & infidelitatem populorum, qui repulerunt verbum ſalutis, vel qui inde perceperunt fructum, qui illis erat percipiendus. Talis character eſt ſervi prudentis, atque fidelis, cui commiſit Dominus curam familiæ ſuæ. Eſt fidelitas, zelus, ſapientia muneri huic adeo ſancto, atque ſanctificanti neceſſaria? Pete ergo has virtutes a Patre luminum, labora cum auxilio gratiæ ſuæ ut illas adquiras, & ne ingeras te ſacris miniſteriis, niſi poſtquam illas adquiſiveris; alioquin multa peccabis, & exiguum referes fructum. *Moralis Novi Teſtamenti Patris la Neuville. Tomo 3.*

Diſcipulus Jeſu Chriſti gloriari non debet de talentis, quæ a Domino accepit.

Quam male cognoſcit Jeſu Chriſti Diſcipulus Magiſtri ſui characterem! Quam parum aſſequitur ſpiritum vocationis ſuæ, ubi gaudium ſuum conſtituit in exteriori gloria, quæ nonnunquam illius laborem ſubſequitur! Si animum adjungeret ad Dei conſilia intelligenda, inveniret ſæpe in glorioſiſſimis muneribus ſuis, plura pudoris, quam gloriæ argumenta. Benedictio, quam ſuper labores veſtros effundere Domino placuit, minus ad vos, quam ad proximum veſtrum ſpectat. Igitur vani eſtis ineptique, ſi gloriamini de bono, cujus adeo modica pars ad vos pertinet; ſed licet ad vos maxime pertineret, num æquum eſt, ut occupet cor, quod de Deo tantum replendum eſt? Infirma eventuum præclariſſimorum inſtrumenta, quid in illis invenitis, quod vobis ſit proprium, & de quo jure gloriari valeatis? Quæ perſonis veſtris inhærent animi dotes, ingenium, eloquentia, quæ in vobis eſt, veſtra non ſunt; & nimis vobis periculoſum eſt oculos conjicere in hæc naturalia talenta; num potiori jure licebit vobis intueri gratias ſupernaturales, & mere gratuitas, quas Spiritus Sanctus vobis largitus eſt tanquam bonum alienum, quod unice ceſſurum eſt in fratrum veſtrorum utilitatem? Igitur te ipſum conſidera tanquam œconomum; fidelis eſto in harum divitiarum diſpenſatione; neque adeo inſipiens eſto, ut te inflet theſaurorum magnitudo, quorum nihil habes niſi adminiſtrationem. *Idem.*

Progreſſus quam brevi retulit N. in domo Domini.

Sanctus N. exiguum ſane temporis ſpatium tranſegit in domo Domini, & repletus fuit ſpiritu Apoſtolico. Heu! quot annos vivis, ut ita dicam, familiariter cum Domino, domi ipſius, ubi tam crebro refectus fuiſti carnibus ejus, quin adhuc potueris ſpiritu ejuſdem animari? Quid ille produxit in te atque in fratribus tuis? Si ſtatus tuus non patitur, ut in exterioribus Apoſtolatus muneribus te exerceas, Sanctæ Thereſiæ exemplo debes ſaltem te in ſpiritu ſocium addicere Miniſtris Apoſtolicis, illis precibus tuis afferre ſuppetias, de illorum ſucceſſu lætari, in partem accedere laborum ſuorum, miſereri peccatorum, cupere ut Jeſus Chriſtus illos tangat, & illuminet, hoc ſæpe ab eodem in commune deprecari, & ad hoc facilius impetrandum exercere preces, ac mortificationes. Caritas ingenioſa eſt in adinveniendis viis, per quas procuremus gloriam ejus, quem diligimus. *Moralis Novi Teſtamenti Patris la Neuville, tomo 1.*

Jeſu Chriſtus excuſabat Apoſtolos ſuos qui una ſecum aliquando cõviviis intererant.

Jeſus Chriſtus excuſavit factum Apoſtolorum, qui cum ipſo, & ad ejus imperium mundanorum conviviis intererant; volebat enim ex eo tempore tradere illis ſapiens illud placitum, quod S. Paulus exercere callebat, & quod explicite docuit primos fideles, quos ad Evangelii vitam informare ſtudebat. *Scio*, dicebat illis, *Scio & humiliari, ſcio & abundare, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* (*Ad Philipp.* 4.12.) Talis erat vita, & diſpoſitio Apoſtoli, & ita nos quoque effecti eſſe debemus. Nobis erit ſecundum ordinem Providentiæ modo bene, modo male; hodie in honore, cras in contumelia; hodie nobis plaudent, cras in nos ingerent injurias. Aſſueſcamus benedicere Deo de omnibus, & omnia ab illius manu recipere, omnia indiſcriminatim, quin proſperis rebus inflemur, quin vinci ſinamus adverſis; ſi ſolidi fuerimus amici Sponſi, æque modeſti erimus in gloria, ac in ignominia generoſi. *Ibidem.*

PRO

PRO COMMUNI MARTYRUM.

MONITUM.

CUM in Chriſtiana Religione maximus Caritatis actus ſit Martyrium, Salvatoris ipſius teſtimonio, Eccleſiæ cordi fuit colere memoriam illorum, qui vitam ſuam, ſanguinemque effuderunt, ut fidem propugnarent, ejuſque veritatem aſſererent. Hinc enim antiquitus primis Eccleſiæ ſæculis Martyrum nomen illis inditum fuit, quaſi teſtibus Religionis illius, quam profitentur, neque alias quæſivit probationes, ut eos in Sanctorum album inferret ſollemni Apotheoſi, quam authenticam fidem, illos pro Jeſu Chriſto mortem oppetiiſſe. Unus hic Martyris titulus effecit, ut in eorum nomine Templa ædificarentur, feſti celebrarentur dies, pro Eccleſiarum Patronis aſſumerentur, & haberentur eorum locorum præſides, ubi paſſi fuiſſent. Vix urbs invenitur, quæ ſibi gloriæ non vertat aliquem peperiſſe, cujus celebritatem non proſequatur, potiſſimum vero virtutum ejuſdem prædicatione, & elogio.

Verum cum ſæpe numero contingat propter inſignem Martyrum multitudinem, quæ numerari non poteſt, ut ille, cujus laudes inſtituendæ ſunt, non ſatis agnoſcatur, & honoretur, niſi eo in loco, ubi ejus memoria colitur; immo etiam omnes lateant mortis ejuſdem circumſtantiæ, ex communi Martyrum petetur, unde repleri valeat ſermo; ſi late verba fiant de firmitate fidei, quæ ſupponenda eſt in Martyre, de operis magnitudine, de tormentis, quibus excruciatus fuit, de promiſſionibus, vel minis ad deterrendam illius conſtantiam adhibitis, quod eſt veritati conſentaneum. In hæc ipſa nos ipſi curam noſtram extendimus in hoc pro communi Martyrum ſupplemento.

PRO COMMUNI MARTYRUM.

Admirabiles effectus Chriſtianæ fortitudinis in martyrio.

MUndus duplici armorum genere, S. Auguſtinus ait, aggreditur Martyres J. C. modo illecebras adhibet ut fallat, modo minas intentat ut eorum labefactet conſtantiam, nos autem ſemper victoriam referemus, dummodo ita ignavi non ſimus, ut velimus eſſe noſtrarum voluptatum mancipia; neque ita timidi, ut alienæ cedamus crudelitati. Uterque fortitudinis effectus eſt: generoſa hæc virtus de malis omnibus, quæ homines maxime reformidant, refert triumphum. Amat periculum; contendit ad Martyrium; non reſpicit quod patitur, ſed quod lucratur; non curat qua iter ingrediatur, dummodo ad finem perveniat; ac tantum abeſt, quod tormenta ſint terroris objectum illis, ut partem etiam coronæ ipſorum conſtituant. Jeſu Chriſti heredes non timent ſupplicia; his etiam recreantur. Mors illis eſt præcox reſurrectio; ſupplicia vero ſunt flores, qui gloriæ fructus pollicentur: *Non terrent crucifixi heredes mortis ſupplicia, ſed paſcunt, & reficiunt maturatæ reſurrectionis lætabunda ſollemnia.* (*S. Cyprian.*) Contemptus, in quo habent Sancti omnes vitæ voluptates, non eſt illis minus glorioſus, quam ille paſſionum, & mortis. Triumphant de doloribus mortis illos ſuperando, & de deliciis fugiendo. Primus eorum motus eſt ad Crucem confugere; occurrere morti; illam citra formidinem intueri, & ferre cum gaudio. *P. Novet de S. Vincentio.*

Quæ res cõſtituat robur, animũ, ac meritum Martyrum.

Ut aliquis Martyr fiat, huic ſufferendum, huic moriendum eſt, & pro cauſſa bona ſufferendum, atque moriendum. Audacia efficit ut ſufferat, metus ut moriatur. Amor Jeſu Chriſti facit, ut pro bona cauſſa ferat, & moriatur: *Ab ipſo enim patientia mea.* (*Pſalm.* 61.) Ecce nervus fortitudinis illius, ecce robur, quod ſpiritum ejus ſuſtinet, ecce ſpiritus, quo animatur ſpiritus illius, ſecundum Oraculum Auraſicani Concilii: *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei Caritas facit.* (*Canon.* 17.) Jucundum eſt pro Deo pati, ſed hæc eſt miraculoſa jucunditas, quæ ad unum pertinet Deum, de quo inquit Scriptura, *Saturatum opprobriis* fuiſſe, & opprobria ſibi in exquiſitiſſimas dapes convertiſſe: & ad cæleſtes homines, qui Spiritus ejuſdem viribus animati, ad ſupplicia, & tormenta, tamquam ad quietis ſuæ centrum feruntur. *Idem.*

Rationes, quibus utebatur dæmon, ut ipſam ab incunabulis Eccleſiam jugularent, profuerunt ut mirum in modum proficeret.

Sancti Martyres moriendo, divinæ pro ſe ipſis juſtitiæ ſatisfecerunt, ſimulque per fluxa tormenta ſibi immortale gloriæ pondus adepti ſunt. Sed præter privatam utilitatem, quam ex paſſionibus ſuis perceperunt, effecit Deus, ut inde generale Eccleſiæ ſuæ bonum exiſteret; quippe latius Chriſtianæ Religionis fines prolati fuerunt, ejuſque progreſſus incrementum habuere: nihil enim magis profuit ad Chriſtianorum numerum augendum, quam Martyrum ſanguis. Qua in re Dei Providentiam admirari oportet, quæ uſa eſt iis obicibus, quos dæmon ſanctiſſimis ejuſdem conſiliis objecit, ut celerius illa adimpleret. Infernus Tyrannorum excitat rabiem, ut vagientem in incunabulis Eccleſiam juguler; ſed illa eo magis confirmatur, & augetur, quo magis furit perſecutio, quia numerus Martyrum in Eccleſia auget præclara veritatis illius teſtimonia; quia quicumque moriuntur pro fide tuenda, hanc efficientius prædicant ſanguinis ſui voce, quam verbis. *Ex ſpecimine Panegyricorum.*

SS. Martyres ſunt fidei & Chriſtianæ Religionis inſtitutores.

Præſtantiſſima qualitas, quæ ſit in Eccleſia, qualitas eſt Martyris: hæc ſimul eſt actus fidei, fortitudinis, & caritatis, & cum S. Cypriano dicere poſſumus, titulum Martyris quodammodo Apoſtoli titulo eſſe præferendum. Ratio autem, quam Sanctus hic Pater affert, hæc eſt, in Chriſtiana fide nihil majus inveniri Caritate, atque actum virtutis hujus præſtantiſſimum eſſe Martyrium, juxta illud Salvatoris: *Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* (*1. Joann.* 15.13.) Idem Sanctus Pater Martyres appellat Principes fidei, & Chriſtianæ Religionis Inſtitutores; quapropter Tertullianus dixit Eccleſiam, *quæ perſecutionibus crevit*, filiorum ſuorum *Martyriis fuiſſe coronatam*. Glorioſa hæc corona, quam a Sponſo ſuo recepit Eccleſia, illis defutura non erat, a quibus erat fundata, videlicet Sanctis Apoſtolis, ac potiſſimum capiti eorum, ſuper quo Mundi Salvator illam ædificaverat: & ſicuti munus præcipuum Apoſtolatus erat perhibere teſtimonium divinitati Jeſu Chriſti, & veritati Evangelii; illi ſatis digne miniſterium ſuum obire non potuiſſent, niſi per ſanguinis ſui effuſionem perhibuiſſent maxime authenticum fidei ſuæ teſtimonium, & niſi præbuiſſent præclariſſimum ſuæ caritatis, & perfectæ ſimilitudinis ſuæ cum Dei Filio documentum. Quod ſi dilectus Diſcipulus vitæ ſuæ finem martyrio non fecit, in cauſſa eſt, quod cum affuerit morti Salvatoris, ſatis ſuperque paſſus fuerat ad pedes Crucis in Calvario. *Ex ſpecimine Panegyricorum.*

Martyres non pro ſe tantum, ſed etiam pro nobis patiuntur.

Cum Martyr patitur, non pro ſe tantum patitur ſed etiam pro fratribus ſuis: martyrium quidem martyrii coronam promeretur, nobiſque inſigne relinquit exemplum videntibus illum pro fide propugnanda ferentem. Diſcimus credere in Jeſum Chriſtum, & noſmet dignos reddere vita æterna per fluxa hæc tormenta, & nihil vereri mortem, quæ certam facit noſtram felicitatem. Fateamur igitur auditores, quid debeamus Sancto huic Martyri. Sanctus hic morti ſe tradidit, ut a morte peccatores liberaret. Hic fuit carnificum victima, ne nos præda fieremus dæmonum; & vita æque ac mors illius nobis ſalutares fuerunt. Martyres poſt mortem ſuam eamdem ſervant poteſtatem, qua viventes pollebant. Ejiciunt dæmones, omnes tyrannidis eorum conatus Jeſu Chriſti virtute propellunt. Etenim Spiritus Sancti gratia, quæ illos viventes animabat adhærens ſacris eorum Lypſanis eadem ſemper miracula operabatur; & quia Jeſum Chriſtum confeſſi ſunt coram hominibus invicta conſtantia, Deus illos dignatur gloria immortali coram Angelis. Quemadmodum milites confidenter alloquuntur Principem, oſtentantes illis vulnera, quibus confoſſi fuerunt in præliis, Martyres manibus ſuis tenentes laniata membra, & amputata capita, eaque offerentes oculis Dei, jus habent ad ea obtinenda, quæ petunt. Itaque cum zelo accedamus ad inſignis hujus Sancti ſepulcrum, ut cum ſacras ejus exuvias venerati fuerimus, & ſacra martyrii ipſius monumenta, poſſimus in partem accedere gloriæ ipſius, & referre theſauros gratiæ, quos ipſorum miniſterio diſpenſat. *Specimen Panegyricorum tom. 2.*

Neſcio quid divinum eſt & miraculoſum libenter pati propter Deum.

Non deeſt voluptas quædam in iis, qui patiuntur propter Deum; ſed voluptas hæc eſt miraculoſa, quæ ad unum pertinet Jeſum Chriſtum, de quo Sancta Scriptura teſtatur, illius ſuaviſſimas epulas opprobria extitiſſe; *ſaturabitur opprobriis*, & ad cæleſtes hos homines, qui animati vi ſpiritus ejus currunt ad cruciatus, atque ſupplicia tanquam ad centrum ſuæ felicitatis. Deus qui propter eſſentiæ ſuæ eminentiam pati non poteſt, permanens in ſingularitate naturæ ſuæ, agere poteſt cum tota ſua omnipotentia; ſed nequit pati. Ejus beatitudo ita longe abeſt a dolore, ut quidquid efficere poteſt, ut dolori aditum præbeat, totum in eo poſitum ſit, ut permittat ejus aſpectu oculis ſuis, & cordi ſuo oblectationem. Homo e contra nihilum eſt indutum impotentia, & infirmitate; pati quidem poteſt, ſed patiendi voluptatem guſtare non poteſt. Cor illius nonniſi amaritudinem invenit; cumque de rebus judicium ferre teneatur ſecundum ſenſum, quem habet, naturali ratione ſibi perſuadere non poteſt, corpus ſuum bene ſe habere in equuleo, quaſi in floribus cubaret; ferreas ungulas, quibus lancinatur, illum palpare; dentes leonum, a quibus voratur, ſibi blandiri; vel ipſum in cruce confixum adeo ſuaviter ac in molli culcitra, penna ſuffultum quieſcere. S. Petrus erat caput Apoſtolorum, primus teſtis divinitatis C. J., ferventiſſimus diſcipulorum illius, & non ideo tamen poterat ſemper guſtare Crucis ignominiam. Zelus illius adhuc nimis cæcus, ut illius cognoſceret pulcritudinem perterritus fuit, ubi primum de eadem incidit ſermo; ſed cupiens abſterrere Dominum ſuum a conſilio ita glorioſo, illum offendit, & ab eo retulit reſponſum ſeveritate plenum. *Vade retro, Satana, non ſapis ea quæ Dei ſunt.* (*Matth.* 16.) Quamobrem dico, ut quis patiatur, ſatis eſt hominem eſſe; ſed ut patiendi voluptatem guſtet, requiri, ut aliquid ſit ſuper hominem, & habeat cor divinum. Patientiæ exercitium humanum eſt, patientiæ vero guſtus divinus eſt.

Qui multum amat,

Pati, infirmitas eſt naturæ communis; ſed cum voluptate

pa-

Gaudet pati multum pro objecto quod amat.

pati miraculum eſt fortitudinis, cujus omnis gloria accepta referenda eſt amori J.C.. Amor, S. Chryſoſtomus ait, principium eſt omnis fortitudinis noſtræ. Nihil durum amanti; nihil illi videtur moleſtum, nihil difficile, nihil mortale. Provocat pericula, mortem contemnit, ſuperat omnia. Hujuſmodi erat Sancti noſtri character, quem non ſine peculiari conſilio videtur elegiſſe Deus, ut oſtenderet, quouſque pervenire poſſet vis Chriſtianæ fortitudinis, nihil niſi J. C. gloriam appetentis. Hic vir erat admirabilis natus ut pateretur & moreretur, cum alii naſcantur, ut vitæ bonis perfruantur. Ex hominibus alii voluptatibus paſcuntur, alii gloria, alii ſpe, ac deſideriis. Sanctus N. doloribus, ac Martyriis paſcebatur. Paſſio unicum erat objectum votorum ejus, ſcopus ambitionis, fons gaudiorum, & quod in Sancto hoc ſingulare eſt, cauſſa fortitudinis ipſius, quæ illum fovebat per ea, quæ alios deſtruere conſueverunt. *Vita Jeſu P. Novet.*

Sanctus hic a teneris unguiculis flagrabat deſiderio martyrium ſubeundi.

Invitæ hujus fortitudinis, quæ Sancti hujus noſtri conſtantiam roborabat, argumentum extremum eſt patiendi deſiderium, quod J.C. amor afflaverat illi ab extrema pueritia, & qui jugibus crevit progreſſibus toto vitæ ejuſdem curriculo. Sapientiæ eſt eminus proſpicere mala, quæ nobis poſſunt ingruere, & hac præviſione illis novitatem adimere, quæ ut plurimum fallit eos, qui ad illa parati non ſunt. Conſilium hoc generatim omnibus utile eſt, ut ſeſe præparent contra dolorem, & ſpiritui ſuo id roboris tribuant, quo nullis labefactari poſſit infortuniis. Sed hæc optare, & petere a Deo, cruciatibus, ac morti occurrere, eam nondum accendentem arceſſere, ei manus tendere, eam tarditatis inſimulare, verbis prævertere, ejuſque imaginem in mente inſculptam, geſtare, tanquam ſuaviſſimum objectum; hæc non communis eſt virtus; immo extremus eſt heroicæ virtutis conatus, quem nihil gignere poteſt. Pluribus deficeret cor, ſi temere ſeſe hujuſmodi conſiliis immiſcerent, & in diſcrimen adducerentur pereundi propter ſimplicem ejus mali timorem, cujus pondere re ipſa nunquam fortaſſe obruentur. Infirmis animabus ſatis eſt citra murmur ſuſtinere tribulationes, quas illis immittit Deus, eaſque de illius manu recipere, atque intueri tanquam remedia, quæ epotamus, non quidem, quia nobis ſapiunt, ſed quia nobis ſunt neceſſaria. *Ex vita Jeſu Patris Novet.*

Propter hoc Sanctus N. laudem meretur peculiarem.

Laus hæc omnibus debetur Martyribus, qui ſanguinis ſui magis, quam verborum fuerunt prodigi; ſed pauci inveniuntur, qui æquiori jure eam mereantur, quam Sanctus N. quo nemo unquam generoſius ſubiit Martyrium. Nemo unquam liberius locutus eſt. Pertinax, ut ita dicam, certamen erat inter Tyrannorum furorem, & patientiam Sancti N. alterum quidem, ut naſciſceretur, alter vero ut ſæviſſima quæque tormenta pateretur: ſed cum nihil invictam Martyris conſtantiam proſternere poſſet, nihil ejus poterat captivare libertatem. Licet in illum expediretur fames, ignis, ferrum, equulei; Tyranno inſultabat, eique exprobrabat ignaviam, non minus glorioſum exiſtimans illius ſuperbiam infringere, quam delaſſare ſævitiam.

Prudentius.

Ridebat hic miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus ungula.

Chriſtianus inquit Poeta. Job conqueſtus de ſuarum paſſionum exceſſu, dicebat: *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt.* (*Job.6.*) Sed e contra de Sancto N. dicere poſſumus hunc utriuſque ſimul & marmoris, & æris duritiem, ac robur habuiſſe. Tanta firmitate perferebat, ac ſi marmoreus fuiſſet; & inter tormenta ſua divinis perſonabat laudibus tanto clamore, quanto ſi æneus fuiſſet. Qui hinc quidem vidiſſet ſævitiam cruciatuum in laniena illius, & hinc conſtantiam, quam verbis ſuis teſtabatur, crediſſet, S. Auguſtinus ait, duos eſſe homines in uno homine, alterum quidem loquentem, alterum patientem. Et ſane ita erat: patiebatur enim ſecundum carnem, & loquebatur ſecundum ſpiritum. Fallor. Non Sanctus N. ſed J.C., & loquebatur, & patiebatur. Cum loquendum eſt in cauſſa Dei, nemo de ingenii ſui viribus præſumere poteſt; & cum patiendum eſt, nemo in robore ſuo præfidere debet; quia ad annuntianda Dei mirabilia ſatis eſt habere hominis prudentiam, ſed ad perferendas hominis infirmitates neceſſe eſt habere patientiam Dei. Ergo Dei Filius regit mentem illius, & carnis ſuſtinet infirmitatem, ille verba inſpirat, & vires ſuppeditat, & ut Sanctus hic Pater ait, cognoſcendus eſt Deus patiens in creatura ſua; nunquam enim humanum cor, quod non eſt aliud, quam pulvis, ſuſtinere poſſet impetus adeo violentos, quibus extrinſecus oppugnatur, niſi Jeſus Chriſtus ad opem eidem ferendam in eo intrinſecus habitaret. *Quando enim corruptibilis pulvis contra tam immania tormenta duraret; niſi in eo Dominus habitaret?* Ex vita Jeſu P. Novet.

Miracula quæ operatus eſt Deus, ut leniret Martyrum tormenta.

Sæpe liberat Deus Martyres ſuos a cruciatibus iis admiraculis, quæ omnes naturæ vires excedunt; veluti cum placat furorem leonum, qui ad eos demulcendos accedunt, quin illis noceant; vel cum ignis vim prohibet, qui eos circumlambere videtur, ut eos lucis veſtimento circumdet, & capiti eorum gloriæ coronam imponat. Si minus eos omnibus eximit tormentis, quibus afficiuntur, ſæpe omnes illis aufert eorum ſenſum, & adeo ſuavibus deliciis eos cumulat, ut omnes corporis dolores feliciter in mentis voluptatibus ſubmergantur. Denique ſi minus omnem adimit ſenſum, ſemper illis mirifice recentes vires adauget, ut vincant; & ſi corpora eorum vinci ſinit ſub ſuppliciorum magnitudine, ſimul efficit, ut ſpiritus ſe attollat per conſtantiæ ſuæ magnitudinem. Alterum quidem vincitur, alter vero victor eſt: alterum cedit vi tormentorum, alter de carnificum crudelitate triumphat. Fingite vobis Martyrem in prælio donec illius corpus lancinatur, & viſcera ipſa ferro torquentur: oculo conſtanti, ac interrito videt ſanguinis ſui rivos ex vulneribus ſuis effluentes. Ubinam tunc temporis eſt anima victoris hujus athletæ? In tuto eſt; eſt in viſceribus J. C. cujus vulnera ad illam excipiendam ſemper patent. Inde provocat Tyrannos, inde carnificum rabiem ſibi vertit in ludibrium, inde ſpectatoribus ſtuporem injicit. Si enim hæreret adhuc corpori ſuo; ſi aliquo affectu ſibimetipſi inhæreret, næ illa quidem careret ſenſu dolorum ſuorum, ignis vim ſentiret, nec inconcuſſa, & conſtans permaneret in fide. *Idem.*

Duplex Martyrum genus, 1. eorum, qui patiuntur & moriuntur pro fide, 2. Eorum qui patiuntur ſolum pro fide.

Martyrium practicum, & actualis cruciatuum, & mortis pro tuenda fide perpeſſio, calix eſt pretioſiſſimus, qui peculiarem meretur lauream, & eximium dat Martyribus honoris gradum apud J. Chriſtum. Primo quidem intuitu videtur Sanctus N. hujus gloriæ particeps non fuiſſe; neque etiam efflavit animam inter cruciatus ſibi paratos; ſed e contra ex illis egreſſus eſt vegetior, ac fortior quam fuerat ingreſſus: ſed animadvertendum eſt nos duplici ratione conſequi poſſe palmam martyrii; primum quidem patiendo & moriendo propter fidem; deinde vero propter fidem patiendo dumtaxat ea, quæ citra miraculum mortem poſſent afferre. Hoc autem pacto Sanctus N. hauſit calicem Domini, ac Martyrum lauream promeritus eſt, non moriendo quidem, ſed perferendo flagella, exſilium, & carceres, quæ omnia pluries ei mortem valuiſſent inferre. *Idem.*

Patientia, & odium noſtri efficit, ut obtineamus ſalutē animæ noſtræ.

In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras, videlicet, per patientiam ſalvabimini, quemadmodum peribitis, ſi nolueritis pati, & niſi conſtantes manſeritis in fide inter ſupplicia. Hoc alibi repetit J. C. aliis uſus verbis. Qui ſeipſum odit in hoc mundo, ſeipſum ſervat in vitam æternam; nam invenire, lucrari, poſſidere, ſalvare animam ſuam eſt unum, & idem; & nemo invenit, ſalvatque ſe, niſi per patientiam perſeverantem, & firmam uſque ad vitæ finem manentem. Ad finem uſque extremum eundum eſt: labor omnis exhauriendus eſt, ſuperandi ſunt omnes inimici, ut mercedem, præmiumque feramus. Hæc patientia, & perſeverantia Martyres coronavit, in quorum ſollemnitatibus has legimus veritates, quæ non minus nobis, quam primis fidelibus diriguntur. Si enim deſunt nobis Judæi, atque Ethnici, qui nos ideo perſequantur, non ideo tamen deerunt nobis perſecutiones. Nonne ſunt hæc tempora nequitiæ, quibus fideles ſeſe mutuo oderunt, ac viciſſim homines alternis odiis produnt? Veritas invenit inimicos inter ipſos Chriſtifideles, qui eamdem ſequi profitentur. Propter hanc quotidie ineunda erant certamina, ſeu ut illa propugnaretur, contra oppugnantes illam, ſeu ne illa deſereretur, cum afferi minime poſſet, quin aliqua conflaretur calamitas. Quis non videt iniquitatem percrebuiſſe, & caritatem intepuiſſe? Si incidunt bella, peſtes, & fames, turbamur, petimus quidem finem horum malorum; ſed vitæ rationem nequaquam mutamus. In ipſo etiam Eccleſiæ ſinu ſuboriantur pſeudoprophetæ, qui decipiunt plurimos cupientes mundi placita cum Evangelicis inſtitutis conſociare; & torrens conſuetudinis, atque exempli trahit ingentem numerum frigidorum Fidelium, qui nomine tenus chriſtiani ſunt, ſed virtutem chriſtianorum non habent. Nos igitur eoſdem invenientes obices, quos J.C. prædicabat Apoſtolis, nobiſmet applicemus monita, quæ tradidit illis, & conemur cum illis radices jacere in caritate, ut illos in ipſorum perſeverantia imitemur. *Tourneux in Anno Chriſtiano tomo 2.*

Fides Martyribus cōſtantiā inſpirat.

Licet omnes Chriſtianæ virtutes ad Martyrem efficiendum conſpirent; fortitudo, & patientia illum excitent; prudentia, & ſapientia regant; ſpes alliciat, eumque coronet perſeverantia; mihi videtur fides illi animum immittere, & tantam ſibi vindicare partem in illius præliis, ac certaminibus, quantam ſimul reliquæ. Si enim Tertulliano credimus, fides contemnit omnia ſuppliciorum genera, quæ Tyrannorum ſævitia excogitavit ad fallendam Martyrum conſtantiam: (*Tertull. lib. de Idolol.*) *Fides famem non timet, contemnit enim propter Deum omne mortis genus.* (*Ambr. l.7. in Luc.6.9.*) Fides, S. Ambroſius ait, omnem gloriam ſuam collocat in intelligenda, & imitanda cruce J. Chriſti. Eam cognoſcit meditando, & imitatur eam ſuſtinendo. Fides Chriſtianum crucifigit, ut perfectum efficiat: *Fidei gloria, ſi vere crucem Chriſti intelligas.* Sed cum S. Cyprianus Martyrii honorem conſecutus ſit, præ aliis melius cognovit, quid ſuæ fidei deberet; & melius explicuit glorioſa bona, quæ ex hac præexcellenti virtute percepit. Fides, ait, pugnat atque triumphat in Martyribus. Si cui deeſt animus, inde fit, quia fides illi deeſt, & ſi de cruciatibus refert victoriam, gloriam fidei acceptam referre debet. *P. Senault Oratorii in Panegyrico S. Nicolai tom. 1.*

Martyrum mors loquitur æque ac ſanguis eorum.

Addamus cum Eccleſia mortem æque ac ſanguinem loqui, & eam, quæ nobis vitam aufert, viam aperire ſibi, qua ferit aures mundi totius. Eloquentior eſt omnibus Concionatoribus: & S. Chryſoſtomus animadvertit, cum S. Paulus ſermonem interpellavit ſuum, ut ſuſcitaret adoleſcentem, quem uno fere ictu mors, & ſomnus oppreſſerant, illum in locum ſuum ſubrogaſſe, & voluiſſe, ut defunctus hic abſolveret orationem, quam ipſe inchoaverat: ſubſtituit mortuum, ut concionem abſolveret; & ſcite Pater alius adnotavit, Dei Filium ubicumque ægros curavit, ſemper ſalutaria illis adhibuiſſe monita, eiſque malorum ſuorum cauſſam aperuiſſe, ut ea deinceps evitare docerentur; ſed ubi mortuos in vitam revocavit nihil præterea adjeciſſe, quia mors eſt omnium eloquentiſſima magiſtra, & qui illam audiverunt, non egent ultra monitis viventium. Quoniam mors loquitur, nihil ſupereſt quod S. N. agat: Martyr eſt æque ac Confeſſor, neque illi in dubium revocari hæc poſterior qualitas poteſt, quia confeſſus eſt Jeſum Chriſtum loquendo, eumque confeſſus eſt moriendo, & quia ſecundum Patrum loquendi rationem mori pro Jeſu Chriſto, eſt Jeſum Chriſtum confiteri. Ne igitur ultra Martyris dignitatem illi negemus; quia per lacrimas locutus eſt, ac ſenſus ſuos exprompſit per ſanguinem, & ſemet per mortem explicuit. *Idem.*

Admirabiles effectus quos gratia in Martyribus parit.

Fatendum eſt gratiam Martyribus conferre in carceribus licentiam, in doloribus voluptatem, & vitam in ſinu mortis ipſius. Hinc S. Petrus Chryſologus aſſerit, martyrium non eſſe tantum humanæ fortitudinis effectum, quam gratiæ divinæ, & qui illud paſſi ſunt, illud non ſibi acceptum referendum eſſe ſed Spiritui Dei, qui illos in tormentis ſuſtinuit: *Non conſtat Martyrium per meritum, ſed per gratiam*, (*Chryſol. ſerm. 152. Idem Ibid.*) Et in his verbis quæ validiora ſunt, *ad Martyrium qui ſua virtute currit, per Chriſtum non pervenit ad coronam*; & qui in viribus confidit ſuis, nonniſi pudore, & confuſione repletur. *Idem.*

Carcer inventus ad ſontes puniendos æque ac ſervandos.

Carcer non ſolum ad ſontes detinendos, ſed & puniendos inventus eſt. Hæc ſedes eſt tenebrarum, ubi lumen non niſi per ferreas ingreditur crates, vel ſpiracula, quæ vix, & ne vix quidem lucem admittunt. Exſilium eſt, quod miſeri in patria ſua nanciſcuntur; ſervitus eſt ſub qua libertas opprimitur; ſepulcrum eſt, ubi viventes adhuc contumulantur; & e Tertulliani ſententia, *carcer domus eſt diaboli, in qua familiam ſuam continet.* Ille autem in quem conjectus fuit ſtrenuus Martyr noſter, longe crudelior erat, quem ceteri vulgo. Nam præterquamquod ille huic eripiebat Solis lucem, amicorum ſolatium, & membrorum uſum, acutis ſtratus erat cilicibus, ut requiem auferret homini vulneribus confoſſo, & omnes illius dolores inſtauraret. Molle ſtratum ſemper incommodum fuiſſet Martyri noſtro eo in ſtatu, in quem redactus fuerat a tortoribus; hinc conjicite, quem dolorem afferre ei poterat humus tot conſita aculeis, qui iterum, iterumque aperiebant ejus vulnera, omniaque tormenta exaſperabant? Attamen, lectulus hic ſuppliciorum, & horroris fit locus deliciarum, & voluptatum Sancto N. gratia animam ejus roborat, eique ſatis virium ſuppeditat, ut Dei laudes concinat in ipſa carceris caligine. Cæleſte lumen diſſipat carceris tenebras, & illuc voluptatem infert cum claritate; ita ut contra ſpem Tyranni Martyr funeſto illo in habitaculo invenit omnibus malis ſuis medicinam, omnibuſque ſuppliciis ſuis conſolationem. *In S. Vincentii Panegyrico.*

Tormenta, & mors martyrum ſunt aperta conſtantiæ, & caritatis eorum argumenta.

Si homines non morerentur, nulli eſſent Martyres in Eccleſia, & generoſi hujuſmodi athletæ non potuiſſent dare Deo tot ſpecimina ſuæ conſtantiæ, & caritatis; nam licet juſtitia cauſſæ Martyres faciat, fatendum tamen eſt mortem etiam nihil minus conferre, & ſi qui aliquot perpeſſi fuerant tormenta, illuſtri Confeſſorum nomine nuncupabantur, illos tantum qui vitam effudiſſent in prælio, auguſtum Martyris nomen gerebant: *Confeſſio exordium eſt gloriæ, non meritum coronæ, non perficit laudem, ſed initiat dignitatem.* (*Cyprian. de ſimpl. Prælat.*) Non patiendum erat dumtaxat, ſed moriendum ad coronam adeo glorioſam redimendam, & Eccleſia Martyres eos habebat dumtaxat, qui morte fidei ſuæ confeſſionem ſignaverant. Hoc pacto S. Stephanus ſibi Protomartyris nomen comparavit, & ſuper homines ſublatus fuit, non ſecus ac per Virginis qualitatem ſuper Angelos fuerat exaltatus. *In Panegyrico Sancti Stephani P. Senault. Tom. 1.*

Varia mortis genera in Martyribus.

Quamvis quælibet mors moleſta ſit, quia mors omnis ſupplicium eſt, non tamen omne genus mortis par eſt. Alia prolixa eſt, alia brevis; alia turpis, alia honeſta; illa crudelis, hæc ſuavis; ſingulæ ſuum habent characterem, & pro hujus varietate requirunt a morientibus majorem, vel minorem patientiam, atque fortitudinem. Non magna opus eſt præparatione, ut aliquis pugionis ictu intercidat; mediocris tantum virtus requiritur, ut eam ſubeat; cum id mortis genus neque cum dedecore, neque cum ſævitia conjunctum ſit, ſontes quidam ad patibulum properant, quin facie colorem immutent, cumque ſciant funem, quæ aeris reciprocationem impedit, omnem ſibi doloris ſenſum ablaturam, merito putant, ſupplicium hoc ſibi plus dedecoris, quam doloris eſſe allaturum. Sed non deſunt alia mortis genera, quæ ſeveritate ſua ſtuporem injiciunt, quæ novitate ſua opprimunt, ac pompa ſua perterrefaciunt. *Idem.*

Quo in honore Martyres ſuos habeat Eccleſia.

Eccleſia nihil novit præſtantius Martyribus: reſpicit illos tanquam Heroas ſuos, qui laboribus ſuis illam honeſtarunt; tanquam Parentes, qui illam Sanguine ſuo uberem effecerunt; tanquam Athletas, qui eam ſuis certaminibus propugnarunt. Et ſane videtur Martyrium eſſe extremum virtutis conatum, altiſſimum gradum caritatis: *Martyrium Baptiſmum eſt*, S. Cyprianus ait, *poſt quem non peccatur.* Species eſt contractus, quem Martyres ipſi proprio ſuo ſanguine ſignant; Prælium eſt, ubi qui patiuntur, fortiores ſunt iis, qui inferunt pœnam: *Martyres torti, tortoribus fortiores*; & ubi pœna videtur acuere fortitudinem, & dolor arma miniſtrare: *Martyr ſua pœna armatur.* (*Cypr. Epiſt. lib. 2.*) Denique ſi fides habenda eſt alteri cuidam Eccleſiæ Patri: *Plus eſt eſſe Martyrem, quam eſſe Apoſtolum.* (*Idem de laude Martyr.*) Sed nobis perſuaſum eſt, inter Martyres eos eſſe illuſtriores, qui plura paſſi ſunt: magnitudinem meritorum ex cruciatuum eorumdem eſſe dimetiendam, & eos beatiores exiſtimari, qui pluribus vulneribus confecti ſunt, & qui gravioribus affecti fuere doloribus: *Martyres, dum beatos vocamus*, S. Joannes Chryſoſtomus inquit, *ex vulneribus beatificamus.* Juxta illud principium, quod Paradoxi loco haberi poteſt; quia communi ſenſui repugnat, & loco ænigmatis, quorum nonniſi ab amantibus poteſt intelligi: inferendum eſt, nullum eſſe Martyrem, qui plura fuerit perpeſſus, & qui Sancto N. majorem gloriam meritus fuerit. *Ex Panegyrico S. Joann. Evangeliſtæ P. Senault. Tomo 1.*

Pœna non tantū confert Martyrio, quantum cauſſa.

Cauſſa longe magis Martyrio confert, quam pœna. Sanctus enim Auguſtinus ait: *Martyres veros non facit pœna, ſed cauſſa.* Profecto ſi cruciatuum dumtaxat ratio haberetur, ſontes omnes inter Sanctos eſſent recenſendi, qui propter ſcelera ſua perpeſſi ſunt, & Martyrum qualitas illis eſſet deferenda, qui inter ſupplicia, aliquam conſtantiæ ſpeciem præſetuliſſent. Dæmonibus non defuerunt homines, qui partes eorum ſuſtinerent, & qui mortem ſubierunt, ut mendacium mordicus aſſererent morientes, quod viventes enuntiaverant. Ambitio ſua habet mancipia, quæ pro vanitate tantum ſuſtinent, quantum Martyres pro veritate ſuſtinuerunt. Avaritia quoque ſordida ſit licet, habet victimas ſuas, quæ ſe ſe immolant propter lucella ſua, & ut opes ſuas tueantur, vitam ipſam in diſcrimen adducunt. Opus eſt ergo, ut qui Martyris qualitatem indipiſci velit, pro Filii Dei gloria patiatur, ut effundat ſanguinem ſuum, ac vitam perdat ad Eccleſiam propugnandam. Hinc negari nequaquam poteſt Sancto N. Martyris nomen, quia moritur pro J. Chriſto, quia hoc inſignitur honore prædicandi illius divinitatem voce morienti, & docendi mortales omnes illum, qui natus eſt in præſepio, eſſe Filium Dei, quandoquidem & ille ſuos habet Martyres, ut Pater ejus ſuos. *Idem in Panegyrico Sanctorum Innocentium.*

Animadverſio S. Ambroſii de ſāguine, & lacrimis Martyrum.

Animadvertit S. Ambroſius, ubi Princeps Apoſtolorum negavit Salvatorem ſuum, maluiſſe lacrimis eluere peccatum ſuum, quam illud excuſare, vel tueri: *Maluit cauſſam ſuam flere quam dicere, & quod voce negaverat lacrimis confiteri*; (*Ambroſ. ſerm. 46.*) & lacrimæ ſuæ effecerunt, ea in occaſione, ut melius exaudiretur, quam verbis obtinuiſſet. Cum ſanguis dignior ſit, quam lacrimæ, vehementius loquitur, & vox, quam edit, longe graviores edit effectus. Ipſum Dei thronum aſcendit, jus ſibi fieri poſtulat a ſicario, qui effudit illum, & clamare non ceſſat, niſi reus pœnas luat. Sanguis Abel Deum de ſolio deſcendere juſſit, & mutus hic Orator tanta eloquentia defuncti cauſſam peroravit, ut a judice obtinuerit Cain parricidæ damnationem: *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* (*Geneſ. 4.*) David pœnitens fatetur conſcientiam ſuam nulla unquam re magis perturbatam fuiſſe, quam voce ſanguinis Uriæ, quem injuſtiſſime juſſerat effundi. Hæc Principem ſingulis fere noctibus excitabat; hæc illi crimen exprobrabat ſuum in cubili, & in ſolio; cumque nullum in ditione ſua inveniret perfugium, in quo tutus eſſet, tenebabatur confugere ad Deum ab importuno liberandus hoſte, cui ſilentium imponere minime poterat: *Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ.* (*Pſalm. 50.*) Si igitur verum eſt lacrimas, & ſanguinem alte adeo ſuam vocem attollere, ſi verum eſt Deum illis aliqua cum reverentia aures præbere, cur non credemus Sanctum N. confeſſum fuiſſe J. Chriſtum, quandoquidem in Martyrio ſuo tantum effudit lacrimarum, & ſanguinis? Non ne ſatis locutus eſt oculis ſuis? nonne ſatis ſenſus ſuos expreſſit vulneribus ſuis, & cruentum os ejus non ne melius ſuam mentem explicuit, quam fecerint ejuſdem Apoſtoli? *In Panegyrico SS. Innocentium P. Senault Oratorii, Tom. 1.*

Sancti qui paſſi ſunt, & patiuntur martyrium pro fide tuenda, ſunt præſtantiores aliis, qui illud paſſi non ſunt.

Martyres præſtantiſſimi ſunt inter Sanctos, quia honorant generoſiſſimam Jeſu Chriſti actionem, eamque imitari contendunt in morte, in qua ille nobis maximum amoris ſui præbuit teſtimonium. Hinc credidi, maximam laudem, quam illuſtribus Patronis veſtris conferre poſſem, eſſe martyrum dignitatem, & hoc pacto me abſolutiſſimum eorum exornare Panegyricum, & eorum magnitudini parem, ſi vobis oſtenderem illos eſſe ex numero glorioſorum Militum, qui pro Jeſu Chriſti gloria dimicaverunt. Verum ne quis mihi ſuccenſeat, quod illis applicuerim elogium ipſis cum aliis pluribus commune, & non quæſiverim peculiarem eorum characterem, quo ab aliis ſecernantur: per vos hoc in ſermone mihi liceat oſtendere, illos per ſibi propriam prærogativam, quæ præter illos convenit nemini, Martyres eſſe in Nativitate ſua, Martyres in morte, & Martyres in ſepultura. *Ex Panegyr. SS. Gervaſii, & Prothaſii P. Senault Oratoris.*

Licet Eccleſia omnes Sanctos veneretur, majori tamē veneratione complectitur Martyres.

Eccleſia nihil videt præſtantius Martyribus, & licet ſummo in honore habeat Prophetas, Apoſtolos, & Evangeliſtas, tamen Jeſu Chriſti Martyribus obſequia præcipua reſervat: *Etenim mortem Martyrum Religio defenſa, cumulata fides, Eccleſia roborata eſt*; (*Ambroſ. ſerm. 77.*) Sanctus inquit Ambroſius. Noſtri vero Martyres non parum gloriæ, atque inſtitutioni illius contulerunt; nam præter quam quod plurima paſſi ſunt tormenta, & conſtantia ſua effecerunt ut omnes Jeſu Chriſti poteſtatem admirarentur, & pugnarunt in urbe ſatis celebri, ubi populus univerſus teſtis fuit fortitudinis eorum, plurimos converterunt Infideles, plurima operati ſunt miracula, & ulti ſunt Filium Dei de inimicis, qui blaſphemias in Sanctum illius nomen evomebant: Hæc fuit Martyrum noſtrorum pugna, hæc ſimul & victoria. *Idem.*

Martyres ſuſtinuerunt perſecutiones non tam pro ſe, quā pro noſtra cōverſione.

Summi iſti Viri non pro ſe tantum, verum etiam pro nobis ſuſtinuerunt, & ſi mercedem ſuam requirebant, in martyrio ſuo quærebant noſtram eruditionem: *Martyr non ſibi tantum patitur, ſed civibus; ſibi patitur ad præmium, civibus ad exem-*

exemplum. (*Ambroſ. ſerm. 77.*) Verum quid arbitramini, vos ab illis actionibus ſuis edoceri? Hoc ex S. Ambroſio percipite, ut qui Patronorum veſtrorum virtutes vobis aperuit, eaſdem doceat imitari. Docent enim vos, inquit eloquentiſſimus hic Archiepiſcopus, credere promiſſis J. Chriſti remuneranti ſervientibus ſibi, docent non reformidare mortem, quæ celeriter præterit, docent dolores contemnere, quandoquidem pariunt beatitudinem: *Exemplo eorum didicimus Chriſto credere: didicimus contumeliis vitam æternam quærere; mortem didicimus non timere*. (*Idem ibid.*) Sed dicamus illuſtres Patronos veſtros docere vos nativitatem veſtram, quæ baptiſmus eſt, vos etiam non ſecus ac illos ad Martyrium impellere; vitam veſtram, ſi illam regit Evangelium, non ſecus ac vitam eorum, eſſe debere juge martyrium, mortem veſtram conſtantius & amantius ſublatam eſſe poſſe, non ſecus ac mortem illorum, verum martyrium, & demum ſepulturam veſtram, ſi expers fuerit vanitatis, futuram eſſe, ut illorum, triumphum Martyris, quia ſepulti, vel in cœmeteriis, vel in templis, proximi eritis Aris; & Jeſus Chriſtus, poſtquam peccata veſtra expiaverit ſuper terram, vobis gratiam largietur cum illo in Cælis regnandi. *Ex Panegyrico Sanctorum Gervaſii & Prothaſii P. Senault Oratorii Tomo primo.*

Perſecutiones, quas paſſa eſt Eccleſia temporibus Sancti Martyris noſtri.

Erupit contra Eccleſiam perſecutio ſumma cum violentia, ita ut dæmon qui excitaverat illam, putabat fore, ut tandem victa fatiſceret. Sacerdotes, Idola, Magiſtratus, docti viri, divites, pauperes eodem furore correpti in Chriſtifideles exarſerunt. Omnia ſanguinis, & neceſſitudinis vincula ſub inani deorum prætextu confracta ſunt. Patres patrium erga filios ſuos amorem jugularunt, illos tanquam ſontes pertraxerunt ad tribunal, quia nolebant eſſe ſocii impietatis eorum. Matres adduxerunt filias ſuas ad carceres; atque ut religioſæ haberentur, ſibi gloriæ verterunt ſuam crudelitatem. Amici proditionem fecerunt, & crediderunt Religionis cauſſam debere corda ſimul & mentes ſeparare. Servi non dubitarunt heros ſuos accuſare; & beneficia tam accepta, quam ſperata, ceſſerunt ſimulatæ pietatis perſuaſionibus. *Godeau in Elogio Sancti Irenæi in libro, cui titulus Epiſcoporum Elogia.*

Artes quibus uſus eſt Tyrannus ut fideles Religionem abrenuntiarent.

Arceſſivit captivos Tyrannus, & ſtatim illos eloquenti ſermone perſuadere conatus eſt, ut Idolis ſacrificarent. Sed fideles aures ſuas obſtruxerunt, ne audirent ejus blaſphemias in J. Chriſtum. Poſtmodum adjecit promiſſiones, & minas, blanditias, munera, & honorum, atque voluptatum oblationes. Sed ubi omnia in irritum labi cognovit, ut Servos Filii Dei ab officio avocaret; teterrima adhibuit ſupplicia, quæ dæmonum furor tortoribus ea in occaſione ſuggerere poterat. Sed nihil valuit in invictis eorum cordibus præ ſuavitate crudelitas. Nulla fuit inter illos concertatio, niſi quis prior, & quis plura pateretur. Pueri viſi ſunt virili robore excellere, & cum gaudio vitam amittere, quam vix guſtare incipiebant. Membra eorum nondum manicis pedicíſque arctari poterant, ſed pares erant, qui novaculas, & ferreas ungulas ſuſtinerent. Virgines molliores, ne ſuſpirium quidem emiſerunt, cum in earum corpora liquatum plumbum effunderetur, id unum dolebant, quod hominum oculis nudæ objicerentur. Non ſentiebant illæ quidem tormenta ſua, ſed acerbiſſimum earum martyrium illud erat pudoris. Senes corporeis effæti viribus, eas conſtantia reparabant, & beatos ſe putabant ſi vitæ ſuæ ſtadium abſolverent adeo glorioſe. *Elogium S. Irenæi Domini Godeau in libro, qui inſcribitur, Elogia Epiſcoporum.*

Crudele bellum fidelibus indictum ævo Sancti N.

Sæviſſimum exarſit bellum adverſus Eccleſiam; perſecutiones præteritæ in hujus comparatione levia videbantur certamina; nullæ fidelibus relinquebantur induciæ, Magiſtratus, & populi æque in illos erant incenſi. Omnia conſanguinitatis, & amicitiæ jura cedebant odio Chriſtiani nominis, Patres a filiis, filii a Patribus in judicium arceſſebantur. Viri deducebant uxores ad Judices, ut occiderentur; & uxores ſibi gloriæ vertebant prodere viros ſuos eadem de cauſſa; in oppidis, ac urbibus nihil videbatur, niſi eculei, cruces, ignes, rotæ. Paſtores hac fugiebant, illac oves diſpergebantur. Magna hac in procella Sanctus N. non extimeſcebat. Extremum vulnus expectare cupiebat, cum oſtendit illi Deus, ſe velle, ipſum egredi e domo, ubi perſequentes ſe præſtolabatur. Hunc ceperunt in via, cumque illum raperent in quamdam urbem, ibi occidendum, fideles eumdem delictorum manu ſubducere conati ſunt. Horum conſilium illum ſummo affecit mœrore, neque habuit eos tamquam amicos, ſed invidentes ſibi, cui coronam conabantur eripere. Hos ille hortatus, obteſtatuſque eſt, ut ſe in carnificum poteſtate relinquerent, a quibus maximum, qui ſibi fieri poſſet, expectabat honorem. Eos ille vis ſibi illatæ inſimulavit; & rogavit etiam, ut manibus ſuis ſibi mortem infligerent, ſi ipſum alienis manibus mori nollent. Martyris deſiderium eloquentiæ ejuſdem vires ingeminaverat, verum ſatis non fuit, ut cogeret liberatores ſuos ad ipſum in diſcrimine præſenti relinquendum. *Idem in Elogio S. Dionyſii Alexandrini.*

Sanctus hic vir lætatur videns advenire diem martyrii ſui, & alios ad mortem ſubeundam hortatus, illis præivit exemplo.

Advenit tandem dies martyrii Sancti hujus Viri; qui gaudii ipſius, atque triumphi dies fuit. Hunc expectans languebat; Durum erat illi alios ad mortem hortari; eiſque minime præbere exemplum patiendi. Malebat ille cruore ſuo potius, quam calamo fidei ſuæ Confeſſionem ſignare. Tyrannus irrito eventu conatus eſt illum maximis delinire promiſſionibus. Decreverat Sanctus Vir N. ſe per proditionem nequaquam emere velle ſæculi honores, quos adeo ſtrenue contempſerat. Vitta, qua obnubendi erant oculi ejus properantis ad mortem, videbatur illi Cæſarum diademati præferenda. Irriſit minas, ac ubi proferri audiit in ſe mortis ſententiam, in ſecreto cordis ſui cecinit Epinicion. Sequebantur illum fideles, quorum ululatibus aer undique perſonabat, ut minime poſſent ſolatium admittere in tanti Paſtoris jactura. Oravit eos, ut lacrimis abſtinerent, tanquam gloriæ triumphi ſui contumelioſis. Volebant cum illo mori; ſed ille noverat boni Paſtoris eſſe animam ponere pro ovibus ſuis. *Godeau in Elogio S. Cypriani in libro cui titulus: Epiſcoporum Elogia.*

Caritas Sancti hujus Viri erga fideles adverſata eſt deſiderio patiendi martyrium.

Ardentiſſimo flagrabat deſiderio Sanctus N. ſubeundi martyrium, ſed ovium ſuarum caritas adverſata eſt cupiditati, qua inflammatus erat extremum præbendi argumentum ſuæ erga Deum caritatis. Spiritus, quem diu precibus ſuis conſuluit, mentem illi injecit capeſſendi fugam cum fidelibus omnibus, & locum cedendi torrenti huic perſecutionum, quin ſeſe illi objiceret. Oderant quidem gregem Ethnici, ſed potiſſimum in Paſtorem ſæviebant. Sciebant illum facili negotio in ſuam venturum poteſtatem, ſi huic imperitarent, & ubi in hujus interitu ſuam expleviſſent iracundiam, ſatis amplam ſe victoriam retuliſſe arbitrabantur. Illum ergo magna cura conquæſiverunt, quin tamen nanciſci poſſent. Sed cum non poſſent Ethnici Paſtorem in ſua poteſtate habere, in oves omnem furorem ſuum converterunt. Has ubicumque peſecuti ſunt; repleverunt carceres, ac teterrimis ſuppliciis affecerunt. Sed donec Iſraelitæ in plateis adverſus Amalec decertabant, Moyſes attollebat in Cælum manus in monte, eiſque victoriam precibus obtinebat. Tanta ex copia ne unus quidem ceſſit. Pueri præ ſe virilem tulere firmitatem: puellæ, & mulieres molles fortitudinis ſuæ vi ſexus imbecillitatem ſuperaverunt. Locupletes opum ſuarum jacturam pro Evangeli tuitione benedixerunt, & omnibus Ægyptiorum theſauris opprobrium Crucis Jeſu Chriſti prætulerunt. Ita cum alibi dæmon omnium ætatum, & qualitatum mortales dejiceret, urbs vidit omnes fideles ſuos ſtare, ac nullam præſeferre infirmitatem. Omnes qui in ſtadium ingreſſi ſunt, coronam adepti ſunt. Varia fuere certamina, eventus autem ubique fuit æque glorioſus. *Idem.*

Qualitas cruciatuum quibus Martyres afficiebantur.

Magnitudo reſiſtentiæ, atque victoriæ martyrum deſumitur ex triplici qualitate, quæ in eorum tormentis animadvertendæ ſunt, videlicet ex eorum vi, diuturnitate, ac multitudine. Mori acerbum eſt: ſed cum præcincta videtur mors omni ſuppliciorum violentia, & multitudine tormentorum ſtipata, duplex requiritur animi fortitudo. Sunt qui æquo, & conſtanti animo ferrent ſupplicium, modo unum eſſet; ſed tormentorum verietas, & violentia humanæ menti tumultum, metumque incutiunt. Denique inveniuntur ſatis fortes animi, ut perferant cruciatuum & multitudinem, & violentiam, ſi omnes uno ictu, ac brevi eſſent perferendi, ſed cum tarditas accedit, & lento gradu, ac pedetentim ſubeundi ſunt, & ad mortem ſuſtinendam, pluries moriendum eſt: hæc diuturnitas eos fatigat, & requiritur quodammodo triplex conſtantia, ut tres hæ tormentorum qualitates ſuperentur, ubi ſimul omnes inveniuntur, *Biroat, Tomo 2. in Panegyrico S. Victoris.*

De ſuppliciorum tarditate.

Illud autem inter Martyrum ſupplicia mihi videtur maxime extimeſcendum, videlicet lenta applicatio multorum inſtrumentorum, ut qui torquetur, ſentiat mortem ſuam, eamque pluries, ac per intervalla recipiat; hæc quippe diuturnitas poteſt tandem animum ſuum labefactare. Mirum! hac in re Deus cum dæmone conſentire videtur, quoniam illum non ſine miraculo conſervat, eumque facit ſuis tormentis ſuperſtitem. Deus quidem id agit, ut Martyris innoteſcat conſtantia, Dæmones vero, ut illius forritudinem labefactent; ſed fides, quæ cor ejus animat, hanc etiam attribuit fortitudinis diverſitatem, ut cruciatuum prolixitate non fatigetur, & inconcuſſus in eorum diuturnitate, ac varietate perſiſtat. Hic addere poſſumus laudem pulcherrimam, quam Clemens Alexandrinus tribuit fidei, quam appellat; *anticipationem æternitatis*; quoniam ſimul colligit imagines æternitatis Paradiſi, & voluptatum illius, eaſque applicat menti Martyris, ſimulac dæmon applicat eidem imaginem ſuppliciorum ſuorum. *Idem in eodem Panegyrico.*

Dei potentia eniteſcit in martyrio.

Dei potentia refulget in morte Martyrum, quæ tantum roboris, & conſtantiæ tribuit imbecillis creaturis, cujuſmodi ſunt homines, mulieres, & pueri, ut omnes Tyrannorum conatus ſuperent: Tormentorum crudelitatem, inferni furorem, ita ut nihil non cedat fidei eorum, atque virtuti. Nonne aliud divinæ potentiæ argumentum eſt, cum ignes vires amittunt ſuas apud Sanctos torquendos; cum belluarum feritas mutatur in illecebras, & carcerum tenebræ convertuntur in lucem? Sed hic major eſt divinæ effectus potentiæ, quod homo, qui ſuapte natura mortem reformidat, & mortem illi Martyrum ſimillimam, immo hanc cupiat, requirat, occupet, & ob eamdem lætetur, & gratias habeat. Hoc ſane oſtendit illum eſſe Omnipotentem, & Dominum, cum liquet, ſervos illius illi adeo fideles eſſe, ut nihil eos ab officio valeat avocare; permittit, immo omnes provocat, ut id qua illecebris, quas ſuppliciis experiantur. *P. Hayneuve Meditatione pro Martyrum feſtivitate.*

Ferventes Chriſtiani beatos ſe putant, ſi pro Jeſu Chriſto moriantur.

Ubi Dominus, ubi magiſter eſt, quem ſervi, ac diſcipuli ſui adeo obſervant, & colunt, ut cum illi omnia impenderint obſequia, beatos ſe putent, ſi pro mercede ipſis gratiam permittat patiendi, moriendique propter ſui nominis gloriam? Verum ſi omnes moriantur, quemadmodum mundus ſe eos de medio tollere contendit, nonne Religio, & Dei cultus ad nihilum redigetur? Num invenientur adhuc ſervi, qui velint, & poſſint, ubi voluerint, illi ſervire ſervitutem, ſi illos vivere non patitur! Ita eſt. Mundus quidem auferat illi optimos ſervos, illos ad extremum uſque obitum perſequatur, illos occidat, trucidet, terreat omnes, qui eum ſequi profitentur, tantum abeſt, ut inde domus ejus decreſcat, vel Servorum numerus imminuatur; ut immo potius augeatur, & multiplicetur. *Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum*, & in ſingulos, qui moriuntur, decies centena millia ſuboriuntur. Quis hoc facere valeat, niſi Omnipotens Deus? Nonne igitur in hoc potentiam ſuam maxime manifeſtat? Nonne illum ideo admirari oportet, eique dicere: Quam admirabilia ſunt, Domine, opera tua, quam inſignis eſt potentia tua! *Idem.*

Tres relationes Sanguinis martyrum cum ſanguine J. C.

Quamvis dixerit Tertullianus, pretioſum Salvatoris Sanguinem eſſe veluti purpuram Chriſtianorum, quæ illos nobilitat, ac decorat; poſſumus addere hoc potiſſimum in Martyribus accidere, cum ſuum effundunt ſanguinem ad ſuam gloriam, atque utilitatem, Martyrum ſanguis triplicem habet rationem cum Sanguine Salvatoris: 1. perhibet teſtimonium veritatis, & gloriæ; nam naturaliter loquendo nemo diceret, Hominem Deum tot pertuliſse pœnas, & in cruce mortuum fuiſse. Sui amoris exceſsus aliquam offunderet caliginem gloriæ ipſius, & in humanis mentibus aliquam gignere poſset dubitationem: ſed ad confirmandam Sanguinis J. C. gloriam Infideles veritatem hanc confeſſi ſunt, hoc elicientes argumentum, de quo S. Hieronymus loquitur. *Niſi eſſet verum Evangelium, nunquam ſanguine defenderetur*. Viderunt Martyres in equuleos aſcendere ad aſſerendam J. C. divinitatem, hoc inde argumentati ſunt, ſi Evangelium, quod illi credebant, verum non eſſet, neminem unquam in eam mentem ingreſſurum fuiſſe, ut illud ſanguine ſuo propugnaret: Sanguinis hujus teſtimonium omnium eſt validiſſimum, ac potentiſſimum. 2. ratio altera ſanguinis martyrum, hæc eſt, quod par pari referunt domino ſuo: reddunt vitam pro vita, ſanguinem pro ſanguine ſecundum S. Auguſt. ſententiam. 3. hinc tertia exiſtit ratio, quod quædam fit commixtio Sanguinis Jeſu Chriſti cum ſanguine Martyrum; ex parte quidem Martyrum; quia offerunt Salvatori ſuo & ſanguinem, & merita ſua; ex parte vero Salvatoris: quia hic applicat meritum, ac pretium Sanguinis ſui cum ſanguine Martyrum; quando quidem ex duobus hiſce liquoribus ſimul conjunctis fit quidam veluti fluvius irrigans Eccleſiam, huic ubertatem afferens, & robur. Prima Martyrum gloria eſt teſtimonium perhibere Sanguini Jeſu Chriſti; altera illi par pari rependere, dare ſanguinem pro ſanguine, vitam pro vita; tertia miſcere ſanguinem ſuum cum ſanguine Redemptoris. *Biroat Tomo 2. in Panegyr. S. Jacobi Majoris.*

Paſſiones Martyrum ſunt totidem voces quæ nobis prædicant fidei veritatem.

Dicebat Tertullianus naſcentem Eccleſiam muta uſam fuiſſe philoſophia, ſed eloquenti, & ad perſuadendum aptiſſima ad illuſtranda fidei principia, & jucundam efficiendam doctrinam in theorica parte, quæ in practica adeo auſtera erat, & rudis: *Elingui philoſophia vita noſtra contenta eſt*. Chriſtiani omnes in hoc dicendi genere validiſſimi erant Concionatores: Oculi eorum, frons, manus, veſtigia, veſtes, quidquid in illis erat, prædicabat divinitatem, ſanctitatem, omneſque Jeſu Chriſti perfectiones. Præ ceteris autem, Tertullianus ait, conſtantia Martyrum inter cruciatus: generoſitas hæc, & alacritas, qua mortem ſubibant, fuit primus Evangelii Commentarius, & perſpicua noſtrorum myſteriorum interpretatio: *Illa ipſa obſtinatio, quam exprobratis, magiſtra eſt*. Profecto via præceptorum longa eſt, illa autem exemplorum brevis, & efficax. Sermones, qui nobis fiunt de virtute, ſegnius irritant animos per aures immiſſi, quam exempla oculis ſubjecta fidelibus. Hæc adeo validas in nobis impreſſiones efficiunt ad mentes noſtras evincendas, ut ex S. Chryſoſtomi Sententia in Elogio Sancti Martyris babylæ, ſolidæ virtutis actiones nos magis perſuadeant, quam miracula: *Convincunt magis opera virtutis, quam miracula*. Quam eloquens eſt os vulnerum! Quam urgens eſt vis Sanguinis Martyrum. Quis eſt idolorum cultor, cui ad aſpectum horum miraculorum, fortitudinis, zeli, caritatis, patientiæ, perſuaſum non ſit de veritatibus, quæ ſibi inter cruciatus prædicantur! Via ſanguinis diffluentis, quam vehementes ciet affectus, validoſque motus in animabus eorum, qui adſtant Sanctorum Martyrio! Quam pathetica ſunt verba de ore Martyris emanantia! Non amplius lingua loquitur, ſed ignita pruna ſcintillas emittit, & flammas. *Ignis vibrans eſt, non lingua loquentis; & ſi lingua eſt, ignea plane eſt. Carbones ſunt lingua ejus, & ignis, quem de excelſo miſit Chriſtus in oſſibus ejus. P. Texier T. 1. in Panegyr. S. Andreæ.*

S. hic martyr tormentis victus non fuit.

Religionis propugnatores, qui conſtanter propter illius gloriam deprælianuur, oppoſitores nanciſci, calumniis affici, hominum manu profligari poſſunt, vinci autem non poſſunt. S. Auguſtinus de Sanctis Martyribus verba faciens, quærit, utrum fidei perſecutores, qui illis vitam eripiebant per tormenta, eorum victores eſsent, necne? *Vicerunt perſequentes, & victi ſunt Martyres? abſit*. Victoria Tyrannorum in ſpeciem erat duntaxat; *Viſi ſunt ſibi viciſſe*. Patiebantur martyres, non vincebantur; *Paſſi, non victi*. Triumphabant inter ſupplicia, quia patienter ſuſtinebant in corde foventes caritatem, quia eorum præliis plaudebat Eccleſia; quia Cælum palam eos protegebat, & coronabat. Dicere quoque poſſumus Sanctum hunc Martyrem triumphaſſe: primo quidem per patientiam ſuam, ſecundo propter Eccleſiæ plauſus, tertio per viſibilem cæli protectionem; & Religio illum in hoc certamen impulerat, ut eum hoc triumpho decoraret: *Certamen forte dedit illi, ut vinceret*. (*Cap. 10.*) *Oratio funebris Cardinalis de Mailly, habita a P. Candido Challipet, Recollecto.*

Fidei confeſſio in martyrio requiſita.

Confeſſio eſſentialis eſt pars martyrii; ſatis non eſt amare Deum ex corde, niſi illum ore confiteamur: *Corde creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, ait Gentium Apoſtolus. *Confeſſio exordium eſt martyrii*; (*Rom. 10.*) & Sanctus Cyprianus præferre videtur gloriam Confeſsoris, qui diu in carceribus patitur, gloriæ martyris, qui brevi animam efflat in cruciatibus. *Semel vincit, qui ſtatim patitur, & qui manens ſemper in pœnis congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur*. (*S. Cyprian. l. 2. Epiſt. 4.*) Et quo diuturnius, atque acerbius eſt, eo ſanctius, & glorioſius eſt ejuſdem martyrium. Cum ergo Confeſſio, ut ita dicam, ſit anima martyrii, opus eſt, ut Martyr annuntiet & gloriam J. Chriſti, & religionis ſuæ veritatem. *Idem in eodem Paneg.*

Quidquid maxime perhorreſcit natura, majorem SS. Martyribus voluptatem afferebatur.

Viſi ſunt Martyres inſultare Tyrannis, & exprobare tortoribus eorum imbecillitatem, quia fatigabantur illi potius torquendo, quam ipſi patiendo propter Deum. Si quis damnatum ſe videbat ut uno ictu mortem ſubiret, ille ſane hoc ſibi invito accidere teſtabatur, ratus mortem hanc nimis parum glorioſam eſse fortitudini ſuæ. Capiebat omnes venas torqueri, & ſecari, ut multiplici velut oſtio funderet ſanguinem; optabat, ut caro tota lancinaretur, ut oſsa confringerentur omnia, ut in ſingulis artubus corporis ſui martyr eſset, atque tunc quo plura patiebatur, eo majorem triumphum referebat. Sibi invicem deoſculabantur viſcera ſua, mutuo ſua ſibi invidebant & vulnera, & patiundi occaſiones. Quis autem illis tantum virium, & fortitudinis conferre poterat? Non igitur natura, & vanitas erant totum illud quod formidabant. *Auctor recens.*

Tertulliani ſenſus omnibus martyribus proprius.

Hac in re N. Martyr explevit illud Tertulliani placitum aſſerentis Sanguinem Martyrum germen eſse fecundum, & ſacrum, quod frequentat Eccleſiam, cum deſerit mundum, & gignit ſubditos Filio Dei, ſimulac eripit dæmoni mancipia: *Sanguis martyrum ſemen eſt Chriſtianorum*. (*Tertull. Apologet.*) Nam licet Sanctus hic glorioſum filiorum numerum pepererit Deo, fatendum eſt, multo plures illi peperiſse in morte. Hæc non ſecus ac Domini ſui mors fecunda fuit, & prout Sanguis illius effundebatur in terram, & vox ſanguinis hujus aſcendebat in cælum, convertebantur populi, & invenientes baptiſmum in martyris hujus morte, renaſcebantur ex vulneribus ejus, & fiebant Eccleſiæ filii, eo vitam fidelibus dante, cum amitteret ſuam. *Paneg. Sanctor. P. Senault Orat.*

Nemo ex Martyribus eſt, qui plus habeat conformitatis cum Jeſu moriente quam Sanctus Matthæus.

Quamquam non tantum requiratur ſimilitudo in genere mortis, quam ſacrificii forma, confitendum eſt, neminem inter Martyres eſse, cui plus adſit conformitatis cum Jeſu moriente, quoniam ut ille ad aram expirat; addit ſuum Domini ſui ſacrificio; ſanguis eorum ſimul commiſcetur; & ex victimis duabus una fit tantum; & dicere poſsumus Jeſum Chriſtum ſe immolare cum S. Matthæo, vel S. Matthæum cum Jeſu Chriſto immolari. *P. Senault in S. Matthæi Panegyrico.*

Si minus imitari poſſumus Sanctum Matthæum in Martyrio, ſaltem ſequi debemus ſapientia conſilia, quæ ſuggerit nobis.

Etiamſi ſapientia S. Matthæi conſilia ſecuti fueritis, adhuc ab illius virtute diſtabitis: illius enim ſacrificium ad mortem uſque proceſſit, ſanguinem ex omnibus venis effudit, vitam pro Domini ſui gloria perdidit, & a vobis non quæritur, niſi ut injuſtos ſenſus aliquot juguletis, ut inordinatas affectiones aliquot caſtigetis, atque ut infideles aliquot ſenſus dæmoni, & peccato faventes mortificetis. Superſtites eſse poteſtis ſacrificio, quod vobis præſcribitur, & quoniam Deus non poſtulat mortem, ſed converſionem tantummodo peccatoris: illi ſufficiet mortificatio, quæ martyrii vel imago eſt, vel umbra. *Corpus tuum ſecurus admove ad victimam*, (*Serm. 108.*) eloquenter S. Chryſoſt. inquit: *fidem quærit non mortem, votum non ſanguinem*. Tutiſſime fac victimam ex corpore tuo. Deus, cum quo tecum res eſt, indulgens eſt, ac mitis, quærit tuum deſiderium, non cruorem. Offer illi fidem tuam, ut in te punias infidelitatem tuam. Offer illi jejunia tua, ut punias oris tui intemperantiam; offer illi continentiam tuam, ut expies vitæ tuæ nequitiam: *Offer fidem, ut ſit punita perfidia, jejunium, ut gula ceſſet: ſacrifica caſtitatem, ut moriatur libido*. Invenies his ſacrificiis nihil ſeveritatis ineſse præter quam nomen, & hæc tibimet relinquendo, te a peccati tyrannide liberare. Sed ut hoc fungaris officio, quod homines in perfectione conſtituit, alia duo munera obeunda ſunt, quæ illos ad eamdem adducunt. *Idem.*

Plures Martyres convertunt carnifices ſuos.

Martyres ſecuti ſunt Salvatoris veſtigia in cruciatibus, quos pro fide ſubierunt. Summi iſti viri pepercerunt tortoribus ſuis: Medici iſti caritate pleni curarunt phræneticos, a quibus ſibi mors fuit illata, & ex ſanguine ſuo pharmacum illis propinantes reddiderunt rationis uſum ac valetudinem furentibus, qui cruorem hunc ex eorum venis eduxerant. Sed quin in omnium Martyrum laudes excurram, mihi per vos immorari liceat in illis Sanctorum, quos hodierna die nobis repræſentat Eccleſia, vobiſque oſtendam illos ad exemplum Filii Dei converſionem carnificum ſuorum obtinuiſse.

Jugularunt omnes ultionis ſenſus in eos, a quibus ſexcentis afficiebantur ſuppliciis.

Illud autem mirum eſt, quod Sanctis his juſtos ſuffocantes tot contumeliarum ſenſus oraverint pro ingratis, dolores ſuos pro ſalute ipſorum obtulerint, & per tormenta converterint illos, quos beneficiis ſuis delinire non potuerant. Querimur Chriſtianam Religionem nimis eſse ſeveram cum ultionem vetat, & jubet injuriarum oblivionem. Dicimus, Jeſum Chriſtum nequaquam conſuluiſse noſtram imbecillitatem, cum dixit in Evangelio: *Diligite inimicos veſtros*. Et alios metien-

metientem ex ſemet, credidiſſe, affectiones noſtras æque ſubjectas eſſe atque ſuas. Sed ne conqueramini ultra, quandoquidem videtis martyres, qui plura iis faciunt, quæ J. Chriſtus jubet, & qui ſatis non eſſe rati, ſi tortoribus ſuis pepercerint, ſeſe offerunt ſacrificium pro illorum ſalute, ſuumque cruorem effundunt ad expiandas noxas hominum totius humanitatis expertium. *Ex Panegyrico P. Senault Oratorii.*

Omni niſu contendendum eſt, ut imitemur illuſtrem hunc Sanctum.

Quam reformido N. ut exemplum tuum, quod infideles convertit, damnet chriſtianos! Quam timeo ne ſanguis hic, qui carnificum tuorum cauſſam peroravit, pronuntiet contra filios tuos ſententiam, & extremo judicii die inſurgas in nos, & oſtendas Jeſu Chriſti præcepta non eſſe impoſſibilia! Evitemus æquiſſimas has objurgationes; vivamus ita ut Orator hic judex noſter non fiat. Sanctum hunc imitemur, niſi velimus ab ipſo damnari; & ſi nobis non licet, ut illi, admirabiles curationes perficere, adnitamur eas facere, quæ teſtes ſint noſtræ caritatis. Ægrotantes juvemus opibus noſtris, eorum miſeriam noſtra miſeratione ſolemur; noſtra cum eorum lacrimis admiſceamus ſuſpiria; ſi de nobis conqueſti fuerunt poſtquam illis operam noſtram impendimus, patiamur ingratos eo modo quo Sancti paſſi ſunt furentes; & ſperemus bona opera noſtra, quæ nullam ab hominibus mercedem obtinuerunt, a Jeſu Chriſto præclariſſimum æternitatis pretium eſſe obtentura. *Idem.*

Animadverſiones in Sancti N. martyrium.

Ubi mecum tacitus Sanctorum aliorum martyrium reputo, ſentio cor meum bifariam in odium, & amorem, in admirationem, & horrorem dividi. Patientem laudo; Tortorem execror, qui illum afficit ſupplicio. Prioris conſtantiam admiror; alterius crudelitatem abominor; reperiens martyrium cum cæde conjunctum, & ſacrificium cum ſacrilegio commixtum, alterum quidem revereor, ſimulque alterum condemno. Sed in actione hac nihil eſt niſi magnum, & ſacrum. Ex parte Dei gratia eſt, quæ ſatis æſtimari non poteſt; ex parte Angeli bonum eſt officium, quod ſatis non poteſt commendari; ex parte Sancti noſtri eſt actio heroica, quam ſatis admirari non licet. *Idem.*

Omnia ſunt admirabilia in Sancti hujus ſupplicio.

Verum ſi in hoc ſupplicio ſancta ſunt omnia, omnia etiam ſunt admirabilia, & minores circumſtantiæ, quæ in illo occurrunt, prodigia ſunt, & miracula. Cor illius vulneratum eſt, & ſpiritum reciprocat; vulnera aperta ſunt, & cruor ejus non effluit. Biennio crucifixus eſt, & in adeo prolixo, tetroque ſupplicio non emittit ſpiritum. Mors conſentit cum vita in hoc homine; unicus eſt inter Martyres, qui lethali confoſſus vulnere, tandiu vitam producat. Ecce votorum ſummam jam adeptus es, ecce jam crucifixus es: ſine, ut quin te retraham a mortificationibus tuis, te glorioſum oſtendam, ac doceam audientes me, gloriam in Sanctis non eſſe niſi dolorum ſuorum mercedem. *Idem.*

Nulla major dignitas, vel perfectio quã martyrium.

Nemo eſt, qui non arbitretur, præſtantiſſimam Sancti N. qualitatem procul dubio eſſe martyrium, & illius elogium cumulatiſſime exornaſſe, qui dixit illum ſanguinem vitamque ſuam effudiſſe pro Jeſu Chriſti gloria. Quippe Martyrium maximus eſt caritatis conatus, & altiſſimus gradus perfectionis. Et ſicut nihil ultra expeti poteſt ab homine, qui animam poſuit pro amico; nihil ultra expeti poteſt a Chriſtiano, qui pro Redemptore ſuo mortem ſubiit. Tamen Sancti N. martyrium videtur mihi dimidium dumtaxat gloriæ ipſius conſtituere, & viderer non omnia vobis merita illius expoſuiſſe, ſi vobis extremum dumtaxat illius certamen ob oculos poſuiſſem. Aliud adfuit martyrium, quod præceſſit martyrium ejus, & audeo dicere, illum nunquam ſubiturum fuiſſe mortem pro gloria Filii Dei, niſi reliquum vitæ ſpatium in ejuſdem ſervitium collocaſſet. Prævenit carnificum ſævitiam pœnitentiæ auſteritate; cruciatibus ſeſe præparavit per merita, totaque vita ejus fuit felix martyrii Tyrocinium. *Tota vita Chriſtiani*, Tertullianus ait, *eſt diſciplina martyrii. Ex Panegyrico S. Placidi Patris Senault ex Oratorio tom.* 3.

Nullum verũ eſt martyrium niſi in eo qui patitur pro veritatibus Religionis.

Et ſane Chriſtianus, qui vivit ſecundum leges Evangelii, verus eſt Martyr, quas niſi diligentiſſime obſervaverit, in dubium martyrii dignitas poteſt revocari. *Tota vita*, S. Cyprianus inquit, *martyrium reddit Deo, & niſi illa præceſſerit, martyrium, quod ſanguine perbibetur, non eſt martyrium.* (*De duplici martyrio.*) Tota Chriſtiani vita prolixum eſt martyrium, quod patitur propter Deum; & niſi illa directa fuerit ſecundum Religionis placita, martyrium, quod ille ſanguine ſuo ſignat, verum non eſt martyrium. Hoc poſito, dicimus S. N. tota vita ſua martyrem fuiſſe, quandoquidem eaſdem ſubiit pœnas, quas carnifices illi intuliſſent, & quia eorum furorem prævertens omnia pertulit ſupplicia, quæ ab illis ſibi fuiſſent illata. Si enim tortores ſeparabant patres a filiis, & uxores a viris per exſilium: ille ultro ſeceſſit a Patre, matre, ac fratribus; ſi illi fidelibus auferebant opes, & honores, ille utriſque per humilem paupertatem abrenuntiavit; ſi ſexcentis illos ſuppliciis torquebant, ille ſexcentas excogitavit auſteritates ad patientiam exercendam; ſi denique illi damnant morte, ille ſemet addixit mortificationi, quæ æque diuturna eſſet, ac vita, & æque crudelis ac mors. *Idem.*

Ad Martyrum gloriã contendere licet cum noſtræ concupiſcentiæ reſiſtimus.

Juxta ea, quæ S. Cyprian. docet, ſatis eſt concupiſcentiæ reſiſtere, ut martyres ſimus, & ſine aliis tortoribus, quam hoc, contendere nobis licet ad generoſorum Athletarum gloriam, qui de Tyrannis triumphaverunt: *Non deeſt concupiſcentia, quæ martyrii materiam quotidianam nobis exhibet.* (*Cypr. de duplici martyr.*) Immo ex hujus Doctoris ſententia difficilius aliquanto eſt vincere voluptatem, quam dolorem; dolor enim extrinſecus procedit, voluptas autem e contra; & qui dolorem ſuperat, vincit tortores, ſed qui ſuperat voluptatem, vincit ſe ipſum: *Malum omne facilius vincitur quam voluptas: qui hoſtem vicit, fortior fuit; ſed alter, qui libidinem repreſſit, ſe ipſo fortior fuit.* (*Cypr. de bono pudicit.*) Denique martyrium hoc non ſolum quædam eſt ad alterum promerendum diſpoſitio, ſed conditio eſt, ſine qua obtineri non poteſt; namque ex ejuſdem S. Cypriani ſententia, qui martyr fuit, tortores noſtros vincere non poſſumus, niſi vicerimus noſtras cupiditates, & inutile eſſet illos vincere, niſi antea has ſubigere contenderimus: *Fruſtra cervicem præbueris carnifici, niſi prius occideris affectus.* (*Cypr. de dup. Martyrio.*) *In Panegyr. S. Placidi P. Senault Orat.*

Idem ſequitur argumentum.

Hinc infero non ſine graviſſima injuſtitiæ labe negari poſſe magno huic Viro Martyris dignitatem, quia nunquam ſuæ paruit voluntati, ac ſemper ſtudiis ſuis eſt adverſatus. Si enim per vos mihi licet leviter ad examen vocare præcipuas vitæ ejuſdem actiones, liquebit, ne unam quidem eſſe, in qua præliatus non fuerit, & aliquam de ſemet victoriam retulerit. Amat propinquos ſuos, reliquit illos citra ſpem eos ultra videndi; ac ſeſe in Clauſtro ſepeliens, moritur illis, & illi quoque viciſſim eidem moriuntur: cupit bona, quia præter ſtudium illud, quo rapimur omnes omnia poſſidendi, nobis quædam ingruunt neceſſitates, quæ noſtrum cient deſiderium: Sed generoſe deſerit illa; utque ſuum augeat dolorem ſimul, ac meritum, ſuum jugulat deſiderium, quamvis ſuam noverit neceſſitatem. Cupit honores, quoniam filius eſt Adam, & ſecundum ambitioſi hujus parentis ſtudia, nihil habere vellet ſupra ſe, & ſubtus ſe omnia. Sed primi hominis ſenſus impugnans ſenſibus alterius, non ſolum fugit honores, ſed quærit contumelias, neque unquam magis voti ſui compos eſt, quam cum magis humiliatur. Cupit denique voluptates; quoniam omnes homines ſuapte natura diligunt illas, & videtur naturam ſuam prodere, qui dolorem amat, & quærit. Nihilo minus huic reſiſtit cupiditati, & non ſine afflatu gratiæ Chriſti Jeſu reſpicit voluptatem tanquam infeſtiſſimum hoſtem, eamque oppugnat rebus in omnibus, in quibus latet, ut nos fallat. *Idem.*

Chriſtianus, qui vivit in pœnitẽtiæ ſpiritu, verus eſt martyr.

Denique ſemper patitur, quia ſemper pugnat: ſemper eſt martyr, quia ſemper eſt pœnitens, & verum oſtendit illud S. Auguſtini placitum aſſerentis: *Vita Chriſtiani, ſi ſecundum Evangelium vivat, crux eſt, & martyrium.* Et profecto quid excogitare poſſent Carnifices ad torquendum hominem, quod pœnitentes ad ſemet torquendos non inveniant? Quas pœnas illorum crudelitas nanciſceretur, quas horum ſeveritas nacta non fuerit? Et cum vobiſmet exhibetis ea omnia, quæ Sanctus N. paſſus fuit inter Clauſtra, nonne confiteri cogimini, illum fuiſſe Martyrem, antequam tortores violentas illi manus inferrent, ac illum magis induſtrem atque crudelem fuiſſe in ſemet excruciando, quam in ipſum fuerint Tyranni? *Idem.*

Tyranni putabant, ſe Deo rem acceptã facere perſequẽdo Martyres, & exercendo in eos quodvis ſuppliciorum genus.

Cum Martyres apud Tyrannos haberentur tamquam Dei, hominumque oſores, & inimici, hi nullum prætermittebant tormenti genus, ut eoſdem affligerent: cogitabant crudelitatem ea in occaſione opus eſſe pietatis; hoc idem eſſe, ac Cælum terraſque ulciſci; animadvertere in rebelles, & impios; necnon poteſtatem hanc in manibus ſuis poſitam fuiſſe, ut homines exterminarent, qui evertere conabantur delubra deorum, & aras. Hæc rati modo utebantur æquuleis ad luxandos Martyrum artus, modo ferreis pugnis ad eos decorticandos, modo ignibus ad eos torrendos, modo aquis ad præfocandos, modo leonibus ad eos devorandos: *Innoxios juſtos*, objurgabat quemdam ex his tyrannis S. Cyprianus, *Deo caros, domo privas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis, gladio, beſtiis, ignibus, punis. In Panegyrico S. Placidi P. Senault Oratorii.*

Tyranni omnia excogitabant tormentorũ genera, ut eos cogerẽt ejurare fidem & proferre blaſphemias quas intus perhorreſcebant.

Tyranni vim naturæ inferebant, & ſimul contraria conciliabant, ut hominem multiplici cruciatuum genere torquerent, pœnæ magnitudinem cum ejuſdem diuturnitate conſociabant, efficiebantque ut diutius languerent ad patientiam eorum labefactandam. Illis etiam fallaci lenitate, & vera crudelitate parcebant, ut cum paullulum reſpiraſſent, poſſent perpeti mala recentia. Hinc fit, ut apud S. Cyprianum neſcio quis, qui J. Chriſti fidem ejuraverat, crimen ſuum in Judicum ſævitiam, ac tormentorum auſteritatem culpam rejiceret. Cum Judicis ira iterum exarſit, & infirmatus fuiſſem malis, quæ jam paſſus fueram, flagris cæſus, & virgis, ferreis ungulis lancinatus, equuleis fractus, flammis afflatus fui, ita ut defecerit ſpiritus meus in certamine, & infirmitas mea impotentiæ reſiſtere non potuerit, & os meum prodens cor protulit blaſphemias, quas intrinſecus execrabatur. *Idem.*

Tyranni fatigati martyrum ſuppliciis illos morte plectebant.

Si Martyres ſeſe tutabantur adverſus Tyrannorum dolores, hi victi, vel fatigati illos capite damnabant, & cum eos vincere non poſſent, conabantur illos ad nihilum redigere, vel deſtruere. Nam verum eſt mortem eſſe hominis excidium, & animam ſuam a corpore ſeparare, atque exſcindere compoſitum hoc admirabile, quod mundi gloriam conſtituit, ejuſque ſuperbiam redigere in tumulum, & nihil præclari hujus operis relinquere, niſi modicum cinerem in tumulo. Ita Tyranni, atque Carnifices putabant ſe de Chriſtiano pœnas ſumpſiſſe, poſtquam illos ſexcentis multatos ſuppliciis, animam ex corpore divellebant, & illis reſpondendi facultatem eripiebant. *Idem.*

Sanctus hic tot genera tormentorũ perpeſſus eſt mille mortes pro Domini ſui gloria.

Sanctus hic Martyr fortitudine, & caritate plenus tot mortes paſſus eſt, quot ſubiit tormenta; & in imbecillitate ætatis in ſenium provectæ ſuperavit ignes in cratibus, leones in arenis, crucem in plateis, & carnificum gladios in hoc

monte

monte Sancto. Denique nonne vobis oſtendi mortuum ambulantem, & prædicantem; mortuum perſequentem fungi ſancto munere præconis Evangelici, & utentem reliquiis vitæ, atque eloquentiæ ſuæ, ad adquirendos ſubditos Domino ſuo? Incomparabilis iſte Martyr ſexcentas ſubiit mortes pro Domini ſui gloria; & præcipua inter ſanctos laus ejus eſt, vidiſſe corpus ſuum flammis ſuccenſum, a leonibus dilaniatum, cruci ſuffixum. Ut hic, omnem gloriam veſtram collocate, ut omnia pro Sponſo patiamini; novam in ſingulos dies excogitate pœnam, qua juſtitiæ illius, & amori veſtro ſatisfaciatis. Ideo vivite, ut patiamini; & ideo patiamini, ut fiat acceſſio gloriæ illius, qui tantum paſſus eſt pro ſalute veſtra. *Panegyricus S. Dionyſii P. Senault Oratorii tomo* 3.

Mortes tardiores ſunt acerbiores.

Certiſſimum illud effatum eſt, mortes prolixiores eſſe moleſtiores, & ſæpe mortem inferri alicui cum ſit, ut diutius moriatur. Equidem ſcio, id, quod mortem dicimus, momento dumtaxat contingere, & omnem Tyrannorum crudelitatem, cum omnibus dolis, artibuſque efficere non poſſe, ut diutius mors proferatur. Verum ſi de morte loquamur, eo modo quo loqui debebant Philoſophi, certum eſt eam æque diu durare, ac metus illam nobis oſtendit, & dolor efficit, ut illam ſentiamus. Mori incipimus, ſtatim ac mortem metuimus; & mori pergimus quamdiu patimur. Mors martyrum æque prolixa eſt, ac eorum timores, atque tormenta, & mihi perſuadeo illos toties mori, quoties illi oſtenduntur, vel in illos exercentur ſuorum ſuppliciorum inſtrumenta. Neque putetis me has rationes comminiſci, ut eorum merita amplificem. Mecum conſentiunt Judices, & ſciunt mortis metum partem eſſe mortis; quandoquidem parcentes ſontibus, illis mortis ſententiam pronuntiant ea ipſa die, qua capite plectendi ſunt. Non defuere quidam, quibus ſolus mortis timor mortem attulit, & qui præ timore paſſi ſunt, quod alii per cruciatus ſubiere. *Ex Panegyrico P. Senault Oratorii tomo* 3.

Virgines adMartyriũ properabãt ut aliæ ad ſolatia.

Virgunculæ, S. Ambroſius inquit, quæ ſuapte natura ſunt timidæ, mortem apud nos concupiſcunt; & Teclæ, Agnetes, & Pelagiæ cucurrerunt ad martyrium, eo pacto quo aliæ ad choream, ac theatra feſtinant. Inventa eſt, addit ille, Virgo quæ inter leones lætitiam præſetulit, & quæ videns e carceribus prodeuntes feras, occurrit illis, eaſque provocavit. Sancta Pelagia non vulgari motu Spiritus Sancti percita, carnifices ipſos prævertere ſtatuit, ſibique mortem conſciſcere, ut ſuam tueretur caſtitatem. Si S. Ambroſius cogitationes ejus aſſecutus eſt, illa hæc ſecum reputabat, cum impudicas perſequentium ſe manus fugiebat: Morior, ajebat illa, libere, ac libenter morior; ſed mors mea neque triſtis eſt, neque coacta; & gaudeo, quia profanæ manus, & oculi impudici non coinquinabunt puritatem meam: deferam mecum integritatem, & pudorem meum, & occurram Sponſo meo, ſine timore, & ſine macula. *Panegyricus S. Martini P. Senault Oratorii.*

Gratia in fidelibus gignit mortis deſiderium.

Quamvis adeo generoſum exemplum ſtuporem injicere poſſit omnibus hominibus; tamen videntur mihi, ſi qui noſtræ Religionis norunt principia, nequaquam obſtupeſcere debere; nam primus effectus, quem in fidelium animabus gratia producit, eſt mortis deſiderium. Diceres eos ubi credunt, metum ponere, & eadem virtute, qua Fideles fiunt, fieri etiam ſtrenuos. Placitum hoc adeo verum eſt, ut S. Auguſtinus aſſerat, eum qui mortem timet nondum credere, & nondum illi ſatis eſſe perſuaſum de altera vita; timet enim ne ad illam perveniat: *Nondum credit, qui mortem timet.* Si de fide noſtra cum hac ſeveritate judicium ferretur, nonne merito infideles haberemur? quoniam expalleſcimus, cum nos aggreditur morbus, noſtramque perturbans valetudinem vitæ noſtræ exitum minitatur? Veri Chriſtiani longe aliter ſentiunt, & ſi tales ſunt, quales nobis exhibet Auguſtinus, patienter vivunt, cum voluptate moriuntur, vitam ſuſtinent, & mortem deſiderant: *Chriſtianus patienter vivit, & delectabiliter moritur. Idem.*

Fideles cupiunt mortem, ex quo J.C. pro illis mortuus eſt.

Nemo mirari debet, ſi gratia fidelibus omnibus hoc deſiderium immittat; mors enim conditionem mutavit, ex quo tranſiit per Jeſum Chriſtum. Illa enim, quæ olim erat ſupplicium, modo beneficium eſt: *Juſti meritum fit ſupplicium peccatoris.* Quæ pœna erat, facta eſt ſacrificium; quæ cauſſa erat timoris noſtri, fit ſpei noſtræ argumentum, & quæ ex ore noſtro querimonias eliciebat, elicit laudes, & benedictiones. Denique mors finem facit exſilii noſtri, & initium noſtræ felicitatis; nos a carcere eximit, & aſſerit in libertatem; nos eripit ex procella, & in portum adducit: atque ut S. Bernardi verbis loquar, hæc eſt, quæ cum ſit inimica gloriæ, eam nobis procurat; cum mater ſit triſtitiæ, noſtrum parit gaudium; & cum ſit inferorum janua, nos introducit in cælum. Igitur miramini cum mortis immutata ſit natura, homines ſenſum mutaſſe: hoc cupere, quod olim metuebant, inquirere quod fugiebant, ſibi opem depoſcant ab ea, quam tanquam ſibi infenſiſſimam arbitrabantur? Hac mente Martyres illam exoptabant. *Ex Panegyrico S. Martini P. Senault.*

Quo majora Tyrannus inferebat tormẽta, eo majorẽ cõſtantiã Sancta hæc præſeferebat.

Dixiſſes cruciatus recentes addidiſſe vires Sanctæ N. tormenta illam fortiorem effeciſſe, & conſtantiæ ipſius cum dolore creſcenti novos ſemper paratos fuiſſe triumphos. De illa dici poterat, quod S. Cyprianus de martyribus ſæculi ſui dicebat: illos inter tormenta nullum præ ſe tuliſſe animi motum, & viſos fuiſſe roborari pœnis ſuis, & armari ſuppliciis contra carnificum rabiem. *Martyr torquetur, nec movetur; & ſua pœna armatur.* Hoc agebat incomparabilis N. quo enim magis furebat Tyrannus, illa fortior erat; quo majoribus ab illo afficiebatur doloribus, eo plures hæc palmas referebat; quo plus ſanguinis ex venis ejuſdem hauriebat, eo plus fortitudinis, ac virtutis illi Jeſus Chriſtus largiebatur. *Idem in Panegyrico Sanctæ Catherinæ.*

Martyres ſunt amatores J. C.

Martyres, quorum Eccleſia feſtum recolit diem, veri ſunt amatores Dei; fortitudo eorum, quæ de tormentorum ſeveritate egit triumphum, effectum eſt amoris eorum; niſi dilexiſſent, non pugnaſſent, & illuſtres victoriæ, quæ de Tyrannis, & Carnificibus retulere, glorioſa ſunt invictæ caritatis eorum trophæa. Hinc nequeo, Auditores, exhibere vobis S. N. veluti Martyrem, quin ſimul tanquam amatorem exhibeam, & oſtendam fortitudinem, quam ille teſtatus eſt in variis ſuppliciis, quæ pertulit, certiſſimum eſſe argumentum eximii amoris ejuſdem. Amor enim, ut in Canticorum canticis eſt, fortis eſt æque ac mors; & contemptus, in quo Martyr noſter mortem habuit, me docet, hanc licet omnipotens ſit, amori reſiſtere non poſſe. *Idem de S. Victore.*

Senſus amoris S. Cypriani erga martyres.

Cur mihi non licet, ajebat olim S. Cyprianus, amplecti corpora horum generoſorum Martyrum, qui adeo crudeles cruciatus paſſi ſunt pro Jeſu Chriſto! Quam libenter deoſcularer ora illorum, qui Sanctum illius nomen confeſſi ſunt, fide adeo viva, & ardenti; manus, quæ cum renuerint offerre thus idolis, oneratæ fuerunt tot catenis, & tot ictibus ſauciatæ; pedes, qui extenti fuerunt tanta vi, ac dolore; venerabilia capita, quæ carnificis gladius a corpore amputavit; membra hæc, quæ laniata, laxata, confracta, & vulneribus confoſſa fuerunt propter Jeſu Chriſti fidem! Eheu! quantum illa videre cuperem, eaque deoſculari! Verum quandoquidem hoc mihi negatum eſt, fac Salvator amabilis, ut eorum ſpiritum colligam & ebibam poſt illos calicem tuum. Fac, ut per amorem mortificationum, atque Chriſtianarum auſteritatum, per tranquillam in vitæ hujus adverſis patientiam, per integram voluptatum carnis ſenſuumque abrenuntiationem, & per generoſam crucifixionem meorum affectuum, ac inordinatorum appetituum, obtineam hunc ſpiritum Martyrii, qui ſuppleat defectui carnificum & variorum ſuppliciorum, quæ mihi inimicorum tuorum ſævitia poſſet infligere. *Elogia Hiſtorica Sanctorum, Tomo* 2.

Jeſus Chriſtus nõ tuetur martyrũ vitam, ſed illos miraculis protegit.

Martyres expoſiti fuerunt impiorum furori, eique ſuccubuerunt. Tamen Dei Filius protegebat illos in fortitudine brachii ſui, & magnam eorum gerebat curam. Sæpe illos divinitus tuebatur prohibens, ne teterrima quæque tormenta officerent illis; alias momento omnia eorum ſanabat vulnera, ſed tandem illos gladio interire patiebatur. Oſtendebat ubique per prodigia, quæ in ipſorum gratiam operabatur, ſe poſſe illos a morte liberare, veluti cum J. C. unico verbo ſtravit milites, qui ad illum capiendum acceſſerant, tunc prodidit, ſe non invitum, ac ultro inter manus eorum tradere. Sinens ergo Martyres mori, quomodonam illos tuebatur? Tuebatur ille non vitam quidem, ſed fidem eorum; quia vita eorum ſuppliciis laceſſebatur, quin fidei eorum conſtantia labefactaretur. Si illi Jeſum Chriſtum ejurare voluiſſent, nequaquam torti fuiſſent. Quis reddebat eos ita fortes, ut omnia ſubirent, potius quam a Dei fide deſciſcerent, niſi Deus ipſe, a quo majori cum miraculo ſuſtinebantur, licet fortaſſe minus ſpecioſo in oculis hominum, illos reddendo invictos inter ſupplicia, quam ſi per viſibilem potentiæ ſuæ effectum eos imperioſe avulſiſſet de manibus furentium, a quibus torquebantur? *Anno Chriſtiano Tomo* 3.

Ubertas miraculorũ, & benedictionum, quam parit martyrum ſanguis.

Sanguis, quem pro J.C. Martyres effuderunt, fertilis fuit miraculis, & benedictionibus: aſcendit in cælum uſque tanquam vapor ſuaviſſimi holocauſti, diſſolvendus in imbrem gratiarum, quæ in terram decidere debent. Magna hæc luminaria, quo nomine illos S. Auguſtinus appellat, nunquam puriores, fecundioreſque radios emittunt, quam cum extingui videntur. Nunquam hæ Eccleſiæ columnæ firmius ſolidantur, quam cum videntur everti. Nunquam myſticæ hæ nubes, quemadmodum ab eodem Doctore vocantur, Dei ſpiritu actæ in omnes terrarum plagas, ut fecundæ fiant tot admirabilium productionum, nunquam eruperunt in fulgura, & fulmina validiora, & ſalubriora, quam cum ab hominum oculis evanuerunt: *Vocem dederunt nubes.* (*Pſ.* 76.) Tunc illæ confregerunt idola, violentius everterunt delubra, inferis terrorem incuſſerunt, & concuſſerunt fundamenta Babylonis, quæ in Cælum ipſum inſurrexerat. Sanctorum horum Martyrum mors coram Deo ſatis æſtimari non poteſt. Hic illos habet in honore in magnificam remunerationem pœnarum, & laborum, quos pro ejuſdem cultu pertulerunt. Eam adjungit morti Filii ſui propter Regni ſui incrementum, propter victoriarum ejus perfectionem, atque ornatum triumphorum ſuorum, eaque utitur ad gloriam eorum immortalem, & coronas immarceſcibiles efficiendas. *Verjus in Panegyrico S. Matthæi.*

S. Martyr N. oſtendebat tortoribus ſuis ſe non timere illorum tormenta.

Generoſus Athleta noſter, non ſecus ac alii Martyres poſt illum, & exemplo illius dixerunt ſuis judicibus, atque tortoribus: me equuleis, rotis, crucibus torquete; injuſte damnate me, in exſilium ejicite, carceri mancipate, vinculis obruite; incendite, diſcerpite, omnes artus meos lancinate. Nullam doloris ſpeciem prætermittite, nullum relinquite ſupplicium, quo me non torqueatis. Si in exſilium miſeritis, vel minimus terræ angulus mihi mundi totius loco erit; quia ibi Deum meum inveniam. Si mihi mortem inflixeritis; beatam ſimul

mihi libertatem permittetis, quam cupio, & liberabitis me de carcere hoc terreno, ut regnem in cælo. Si me ignibus, vel ardentibus prunis damnaveritis; ego jam alias ſuperavi flammas, alioſque æſtus concupiſcentiæ reſiſtens. Quodcumque ſupplicium mihi irrogaveritis, moleſtum, & grave mihi eſſe non poteſt; nam cor habeo caritate ſuccenſum, ad illud non perferendum dumtaxat, verum etiam concupiſcendum. *Idem in Panegyrico S. Pauli.*

Tyranni obſtupeſcebant propter martyrum conſtantiam.

Martyres prodibant coram Tyrannis, eiſque conſtanter reſpondebant, ita ut illis terrorem, ac ſtuporem injicerent. Tradebantur lictoribus excruciandi, comburendi, crucifigendi: & illi in teterrimis doloribus ſuis gratulabantur, & ſuaviſſimis deliciis reficiebantur: At enim, hæc erant miracula: Eſto; Sed Deus idem, qui hæc in illis operabatur, nonne data paritate, & ſecundum varios paſſionum ſtatus, quibus affligimur, eadem in nobis valet operari? Non vult? Nonne idem eſt J. C., qui nobis ſuam offert gratiam hac nobis dumtaxat conditione propoſita, ut nos crucem illius arripiamus, & cum illo ſimul eamdem bajulemus? Numquid nimis petit a nobis cum ait: *Venite ad me, & ego reficiam vos.* (*Matth. c. 11.*) Proficiamus, dilectiſſimi auditores, ſubſidio adeo præſenti, atque efficaci. Millies benedicamus Deo huic Salvatori, quod voluerit hoc pacto ipſe ille, & exemplo ſuo, & gratiæ ſuæ impreſſione omnes vitæ hujus ærumnas mulcere. Satis ſuperque erat efficere, ut inde merita, ac ſalutem perciperemus, ſed hoc illi ſatis non eſſe ratus eſt. Vult præterea, ut ex hoc temporis articulo, uti dicebat olim diſcipulis ſuis, triſtitia noſtra vertatur in gaudium: *Triſtitia veſtra vertatur in gaudium.* (*Joann. c. 15.*) Vult, nos veritatem verbi illius experiri, ubi nobis propoſuit tanquam beatitudinem ploratus, terræ hujus calamitates, adverſam fortunam, perſecutiones; *Beati qui lugent.* (*Matth. c. 5.*) Confidamus in illius Providentia tunc etiam cum nobis minus videtur propitia. *P. Bourdaloue in Chriſtianis Exhortation. Tom. 2.*

Quid ſignificet martyris nomen, & quid de illo Ethnici cenſuerint.

Solum Martyris nomen ſufficit, ut intelligatis, hunc proprie teſtem eſſe: ſed cujus rei? Fideine fabuloſæ, & erroneæ? Scio equidem Ethnicos hoc nomine fidem noſtram inſimulaſſe. Scio illos noſtros Martyres accepiſſe pro fatuis, furentibus, atque ab omni ſpe dejectis. Ita illos nuncupavit Antoninus, qui territus aſpectu ingentis cujuſdam civitatis in Aſia, quæ ſeſe obtulit illi ſine delatoribus, ut ſe Chriſtianam eſſe profiteretur, & ab eodem mortem gratiæ loco obtineret, illos omnes cum hoc convicio dimiſit. Ite, miſeri, ait ille: ſi mortem tanto cum furore quæritis, numquid deſunt prærupti loci, unde vos dejiciatis in præceps? Deſunt funes, quibus voſmet juguletis? Sed quis non videt, hunc neque furorem eſſe, neque deſperationem? Quot extiterunt ex Martyribus noſtris, quibus Ethnici Sapientium nomen negare valuerunt? Quot qui exiſtimati ſunt auream habere mediocritatem, omnibuſque numeris abſolutam virtutem? Quot magnis abundarunt opibus, magnis honoribus, & majoribus etiam ſententiis? Ita ſi illi maluerunt ſubire jacturam vitæ, opum, honorum, quam Jeſu Chriſti, nonne hoc argumentum eſt veritatis, & puritatis fidei, quam profitebantur? Ecce, S. Ambroſius ait, ecce cautiones, & fidejuſſores, quos habeo Religionis meæ. Si dextrorſum intueor, video miraculorum frequentiam carentem numero: ſi lævorſum, infinitam Martyrum copiam invenio: & hi ſunt totidem vades, ac patroni veritatis fidei meæ. *Ex Moralibus Sermonibus Tomo 1.*

Quanta SS. Martyribus debeamus.

Teſtes juridici fidei Jeſu Chriſti, quanta vobis debemus? Sine vobis, hactenus fortaſſe eſſemus permixti cum corrupta Ethnicorum caterva; ſine vobis hactenus fortaſſe gemeremus in Satanæ laqueis, triſtitia libidinum ejus mancipia. Sine vobis fortaſſe eſſemus adhuc involuti tenebris idololatriæ: ſi enim tanquam ignavæ pecudes, fautores placitorum mundi paſſi fuiſſemus nos trahi vel futilibus ſæculi promiſſionibus, vel æſtu noſtrarum cupiditatum, ubi eſſemus modo? Immortales habeantur gratiæ, & gloria divino Reparatori noſtro, qui vos elegit futuros imitatores paſſionum ſuarum, ſequeſtres veritatum, incorruptibiles fidei ſuæ teſtes, & columnas Sanctæ Religionis ſuæ, quam ad nos ſermonibus veſtris tranſmiſiſtis; quam verbo vitæ veſtræ, & morum veſtrorum ſanctitate confirmaſtis, & quam tandem ſanguine veſtro ſignaſtis: *ipſi Martyres, fidei Chriſti Martyres, id eſt hujus fidei teſtes fuerunt*, S. Auguſtinus ait. *Auctor Anonymus.*

Martyris hujus gaudia, & conſolationes in teterrimis cruciatibus.

Videte, S. Auguſt. ait, Martyres omnes exultantes gaudio ad aſpectum cruciatuum ſuorum, amplectentes carnifices ſuos, deoſculantes manus eorum, a quibus interficiuntur, capitibus ſuis ardentes prunas in coronæ ſpeciem diſtribuentes, & harmonice in rogis ſuis concinentes; Nonne diceretis hos omnem amiſiſſe ſenſum, & vix ſui compotes eſſe! Veſtra vos non fallit opinio dicit hic Pater; gutta una præclari calicis, quo Deus in Cælis utitur ad replendas lætitia omnes facultates animæ Beatorum: *Calix meus inebrians, quam præclarus eſt!* (*Pſ. 21.*) Modica gutta ex hac aqua gaudiorum cæleſtium in horum Martyrum animam dilapſa, eos tali modo inebriavit, ut ſui compotes minime ſint: inveniunt, ut inquiunt, Paradiſum ſuum inter rotas, & æquuleos, atque fornaces, licet hæ ſint exiguæ inferorum imagines. Ecce ſublimis hæc lectio, quam caro, & ſanguis non capit, quam Sanctus N. nos docet tormentis ſuis; hic nobis aperit ſolidum hoc, verumque gaudium, quod in tormentis latet, cum ibi quieſcit tanta cum ſuavitate inter ſupplicia, cum metuit unum illud, videlicet ne diutius pati prohibeatur. *Ex Panegyrico P. Texier T. 1.*

Admirabiles effectus, quos gignit amor J. C. in corde Martyrum qui pro tuēda J. C. cauſſa moriuntur.

Quam potens, & ardens eſt in Martyrum cordibus amor, efficiens, ut pro J. C. moriantur! Non deeſt illis ſatis valida cauſſa, videlicet cogitatio J. C. qui propter illos mortuus eſt. Hinc S. Laurentius Juſtiniani animadvertit, inter veteris teſtamenti Patriarchas inventos eſſe, qui variis enituerint virtutibus, fide, ut Abraham; obedientia, ut Iſaac; patientia, ut Job; miſericordia, ut Tobias; at neminem, qui in Sacris Bibliis laudetur præſertim propter amoris, atque Caritatis excellentiam. Laus hæc reſervabatur legi gratiæ, in qua Jeſus Chriſtus accenſurus erat ignem in cordibus plurimorum Martyrum, qui illum teſtati ſunt ſanguinis ſui effuſione & vitæ ſuæ detrimento. Hæc etiam eſt utilitas mortis Martyrum, quod peculiarem habeat rationem cum morte Filii Dei, pro quo illam paſſi ſunt. Hæc igitur mors eſt per ſemet adeo pretioſa, & quæ velut ſignum ſuperadditur illi, quæ pro ejuſdem cauſſa perfertur. S. Paulus ait, nos quodammodo inſitos eſſe in morte Filii Dei: *Complatanti ſimilitudini mortis ejus.* (*Rom. 6.*) Ramus trunco inſitus, inde ſuccum haurit, & vitam, quæ mox etiam in fructus ſe effundit. Martyrum enim tumuli inſiti ſunt in Cruce Filii Dei, unde exiſtit quædam commixtio gloriæ, quæ illos pretioſos, & venerabiles reddit: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Panegyrici Sanctorum Biroat Tom. 1.*

PRO COMMUNI DOCTORUM ECCLESIÆ,

Et aliorum, qui fideles ſanctificaverunt Scriptis, & Sermonibus ſuis.

M O N I T U M.

Poſt Apoſtolos, qui in univerſo terrarum orbem fidem fundaverunt, recenſendi erant Doctores, qui tanquam præcipua Eccleſiæ luminaria propugnaverunt illam contra Hæreticos, Schiſmaticos, alioſque inimicos, qui eamdem penitus convellere conati ſunt. Propter hanc qualitatem S. Paulus illis ſecundum locum aſſignat tanquam præcipuis hujus Eccleſiæ membris, quæ doctrinæ eorum, eruditiſque ſcriptis, ac laboribus acceptum referre debet decus, atque integritatem ſuam. Sed operæ pretium facturum me cenſui ſi Eccleſiæ ordinem ſequerer, quæ in Communi Sanctorum poſt Officium Apoſtolorum ſubdit illud Martyrum, de quibus in ſuperiori Titulo ſumus locuti. Quod pertinet ad Doctores, quos loco novimus, ut eos melius ab aliis Sanctis diſtingueremus, cum quibus rationem aliquam habere poterant, animadvertendum eſt, in illuſtri hac claſſe non collocari ſolum Sanctos Patres, qui ſcriptis ſuis impugnarunt hæreſes, quæ ipſorum temporibus inſurrexerunt, puta Auguſtini, Hieronymi, Athanaſii, Gregorii, Chryſoſtomi, ac tot alii qui nobis ſuppeditarunt arma, quibus decertaremus cum miniſtris iniquitatis, qui flagitioſis novitatibus ſuis corrumpere voluerunt ſanam doctrinam, & Apoſtolicas Traditiones: ſed hunc Doctorum titulum extendimus ad eos etiam, qui ſcriptis, atque prædicationibus ſuis tuentur, vel docent Catholicas veritates, noviſque erroribus adverſantur, & illis, qui ſæculis omnibus tritico ſuperſeminaverunt zizania.

Præterea notandum eſt, ubi elaborandus ſit Panegyricus Doctoris hujuſmodi, vel cum ad illum elaborandum copia ſuppeditanda ſit; licet noſmet ad hanc unam coarctaverimus qualitatem, non ideo animum eſſe nobis excludendi actiones, aut virtutes, quæ illius exornare poſſent elogium: fieri enim poteſt, & ſæpe etiam uſuvenit, ut unus idemque homo pluribus ex locis ſpectari queat: ſed loquimur de eo Sancto, qui nobis ex hoc loco præſertim ſit notus, qui primum ſermonis argumentum conſtituit, & illis, qui alios huic voluerint titulos adnectere integrum relinquimus, ut ex Bibliotheca noſtra alteram rerum copiam depromant.

PRO COMMUNI DOCTORUM ECCLESIÆ,

& Aliorum, qui ſanctificaverunt Fideles ſcriptis, atque Sermonibus ſuis.

Paravit cor ſuum, ut inveſtigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Iſrael præceptum, atque judicium. Elogium Eſdr. Eccl. l. 1. cap. 7.

Doctor cum Eſdra poteſt comparari.

HÆc verba in Scripturis dicuntur de homine, quem elegerat providentia ad reſtituendam in Populo Iſrael cognitionem legum, & magnalium Domini. Quænam fuit hujus populi ignorantia, cum permixtus cum Barbaris in acerbiſſima captivitate, vidit ſe pene exutum pretioſo divini verbi theſauro, qui tanquam ſacrum depoſitum illi præ aliis terrarum nationibus creditus fuerat, quemadmodum S. Paulus teſtatur? Tunc non erant neque Propheta, qui proferret Oracula, neque Scriba, qui illa colligeret, neque Doctor, qui eadem explanaret. Tunc Sancta Biblia, in quibus Deus juſſerat deſcribi mandata, quæ irrogaverat, & mirabilia, quæ in populi ejuſdem gratiam fuerat operatus, ruderibus infelicis Jeroſolymæ ſepulta, non videbantur amplius, ac deinde neceſſe fuit, ut fideles ſecuti dumtaxat infirmum lucis radium, quo olim illuſtrati fuerant, & qui vix eorum oculos afficiebat per denſam obſcuritatem quæ illis offuſa erat, profitebantur, ſe colere Deum, quem ignorabant, atque cum religioſo cultu quem præſcripſerat Deus, permiſcebant populorum ſuperſtitiones, quibus ſors armorum illos ſubjecerat. Sanctus hic vir *præparavit cor ſuum, ut inveſtigaret legem Domini.* Hujus curis, atque laboribus Sacri Codices, quibus funeſtæ perturbationes Judææ non pepercerunt, reſtituti ſunt, Templum iterum ædificatum, altaria poſita, Iſrael edoctus, & Altiſſimi cognitio fuit ad poſteritatem tranſmiſſa. *Ex Manuſcripto Sermone.*

S. hic Doctor plenus erat pietate, humilitate.

In Sancto N. ſinceram admiror pietatem, profundam humilitatem, ardentem caritatem. Sincera hæc pietas deduxit illum ad ſcientiam ſine errore, profunda hæc humilitas ad ſublimem ſcientiam perduxit; & inſignis denique caritas viam illi ſtravit ad ſcientiam renidentem. Neque ſatis eſt: cum per ſinceram pietatem perveniſſet ad ſcientiam ab omni errore vacuam, hæc ſcientia pietatem ejus ſolidiorem effecit: per profundam hanc humilitatem ſublimem aſſecutus ſcientiam, hæc ſcientia humilitatem ejus perfecit; & demum cum per ardentem caritatem adeptus fuiſſet nitentem ſcientiam, hæc illius caritatem ad agendum paratiſſimam reddidit. *Ex Manuſcripto Sermone.*

Quid ex S. Hieronymi exēplo valeat depromi.

Ad texendum Elogium Sancti hujus Doctoris Eccleſiæ ſufficere videretur titulus glorioſus, quem illi tribuit Eccleſia, Doctoris magni, vel Doctoris antonomaſtice. Si enim S. Paulus confert cum Apoſtolatu qualitatem Doctoris generice, quodnam eſſe debet meritum illius qui ita enituit in hoc illuſtri miniſterio, ut magni nomine decoraretur ſingulari prærogativa inter eos, qui digne hoc eodem munere perfuncti ſunt? Nonne dicere poſſumus cum S. Laurentio Juſtiniano, Patrem hujus characteris eſſe: *Lumen mundi, Præconem Regni Jeſu Chriſti, Interpretem cæleſtium Oraculorum, Catholicorum veritatum Patronum, verbo, magnum & incomparabilem Eccleſiæ Doctorem? Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Sanctus hic Eccleſiæ inimicos impugnavit.

Magnus iſte Sanctus haberi poteſt tanquam inſignis Eccleſiæ Doctor, qui fidei ſuæ puritatem ſuſtinuit contra omnes Sectarios, qui oppugnarunt illam, & puritatem Doctrinæ ſuæ contra ſæculi ſui laxitatem. Denique Sanctus hic in ſcriptis ſuis, tanquam armamentario reliquit arma ad decertandum contra Eccleſiæ inimicos qui hæretici ſunt, uſque ad finem ſæculorum, nihilque intentatum reliquit, ut in corde creaturarum omnium inſculperet amorem erga Deum, & erga proximum. *Idem.*

Deus Sanctū hunc omnibus donis cumulavit.

Replevit Deus magnum Sanctum hunc dono ſcientiæ cum auctor illi fuerit, ut legeret, evolveret, & conſuleret auctores omnes cum ſacros, tum profanos, ut ſecernere poſſet bonum a malo, vera bona a falſis, & ut præclaras cognitiones, quas ſibi tot ſudoribus, vigiliis, laboribuſque pepererat, traduceret ad ſemet in fide confirmandum, alendum, atque muniendum. Dedit illi quoque Deus donum intellectus non in menſura, & affluenter implevit illum, ex quo non ſolum cognovit, & ſecrevit ſenſus myſticos latentes ſub cortice litteræ, & ſub figuris, allegoriis, ac ſimilitudinibus, quibus ſcatent ſacra biblia; ſed etiam plenitudinem hanc communicavit fidelibus omnibus utriuſque ſexus, qui in variis terrarum plagis diſperſi ſunt; & ſublimi hac eruditione uſus eſt ad expugnandos, & confundendos Eccleſiæ inimicos, qui detorquere conabantur in privatum ſenſum verba divinorum bibliorum, explicans ipſe per ſe fidelibus ſenſus veros, juxta quos ſunt intelligenda. *Auctor Recens.*

Quomodo Deus ipſe huic Doctori tradidit Sanctarum Scripturarum cognitionem.

Littera occidit, & ſpiritus vivificat. Nullus hæreſiarca, nullus eſt hæreticus, quem littera, ut ita dicam, non occiderit per abuſum Sanctarum Scripturarum. Per ſecretam ſuperbiam proprio intellectui mancipati, ſecuti ſunt errores, ac in ludibrium mortalium omnes adduxerunt infirmitates ſuas. Cum Deus in Scripturis Sanctis cum hominibus loqueretur; ipſe quoque, ut ita dicam, humano more locutus eſt: hæc vocabula, hæ locutiones, hic hominum ſermo complectitur ſenſum Dei. Littera cortex eſt, ſub quo latet ſenſus myſticus, & divinus. Unus fuit Dei Spiritus, qui ſub humana littera detexerit ſenſum ſpiritualem Doctori noſtro: ſpiritus enim hominis neſciret corticem pervadere, quin erraret; & non videns niſi quod littera naturaliter offert menti, id unum intelligit quod eſt infra captum ſuum; ſi longius procedit, errat. Spiritus ſolus effecit, ut S. Doctor noſter aſſequeretur verum divini ſermonis ſenſum & modo qui Eccleſiæ Sanctæ conformis eſt. En cur ante Salvatoris adventum populus Judæorum nonniſi humilem, craſſam, rudemque habuit cognitionem Scripturarum; in his nihil niſi terrenum, ac naturale cognovit. Sancti dumtaxat Patriarchæ, Prophetæ, aliique nonnulli veteris Teſtamenti, ac inter alios Sanctus noſter Doctor penetrarunt ſenſum ſpiritualem ſanctorum librorum; ſed hoc accidit per peculiarem Dei revelationem. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 5.*

S. Doctor N. habuit ſcientiam ſanctorum.

Doctor iſte Sanctorum ſcientia fuit præditus, quæ ſita eſt in divinarum Scripturarum intelligentia. 1. quia nemo cum majori aſſiduitate illas meditatus eſt. 2. quia illis uſus eſt ad conterendos Hæreticos, & quia ſuppeditavit arma contra omnes, qui labentibus ſæculis contra Eccleſiam inſurgent. *Idem.*

Labores, quos hauſerunt Apoſtoli, ut veram Religionē cōſtituerent, & eas, quæ mites, & ſuaves videbantur everterent.

Plura requiruntur in eo, qui alios docet. Ut hoc utiliter peragat, opus eſt auctoritate, & a Diſcipulis amandus eſt. Oportet, ut quæ tradit placeant Auditoribus. Libenter etiam audiuntur Potentes ſæculi, qui cum poſſideant terræ bona, large, effuſeque illa iis concedunt, qui ſeſe illis præbent erudiendos. Apoſtoli in penitus oppoſitis circumſtantiis verſabantur. Non ſolum nulla per ſe pollebant auctoritate, ſed qui hac pollebant, nihil relinquebant intentatum, ut ſeducerent homines, eoſque ad Apoſtolos perſequendos impellerent. Si aliquorum benevolentiam, ac fidem ſibi conciliabant, vix fieri poterat, ut inde aliquam perciperent utilitatem. Inhumani enim Tyranni ita torquebant Apoſtolos, ut nullibi illis permanere liceret: volebant hos ex omnibus oppidis extrudi, ab omnibus populis repelli, & omnibus Legum privilegiis orbari. Præterea vitæ recens genus, quod Apoſtoli conabantur invehere, durum erat, atque moleſtum: ea vero e contra, quam evertere adnitebantur, ſuavis erat, & jucunda. Eſto etiam ſi qui ſeveras Evangelii leges ſequi ſe adſtringebant, aliquem fructum percepiſſent; ſed quæ utilitas erat Chriſtianum fieri perſecutionis tempore, cum Chriſtianam Religionem amplecti nemo poterat, niſi jam decreviſſet ſibi martyrium eſſe ſubeundum? *Ex anno evangelico Lambert. Tomo primo.*

Quomodo Deus repleverit ſpiritum S. Bernardi luminibus ſuis.

Deus replens Sancti hujus Doctoris mentem, eumque ſuis luminibus circumdans, revelabat illi non veritates ſolum, & myſteria ſua, verum etiam ſecreta, quæ *profunda Dei* a S. Paulo vocantur. Videbatur cælum totum in ſpiritum ejus deſcendere, vel ſpiritus ejus totus in cælo verſari. Legere ſatis eſt admirabilia ejus ſcripta, quæ edidit in ſacros Libros, ut innoteſcat ſenſuum ejus ſublimitas, & profunda eruditio in ſecretis myſticæ Theologiæ. Loquebatur de perfectionibus adeo alte, & ſtylo adeo ſublimi, ut facile ſit cognoſcere illum a Deo afflatum fuiſſe, & a Spiritu ſancto fuiſſe eruditum. *S. Joannes* ſcientiam hauſit *in pectore Jeſu, Thomas in latere, Petrus in ſinu Patris, Paulus in tertio cælo.* Sed Sanctus hic hauſit eamdem ex raptibus contemplationis, vel tanquam Moyſes alter in montem ſublatus loquebatur cum Deo, & Deum loquentem audiebat. Heu! *quam cito diſcitur ubi Deus eſt magiſter!* Hinc neſcio quis ex eruditiſſimis Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus Sanctum N. vocat hominem vere Apoſtolicum, & miſſum a Deo. Et profecto cum Apoſtoli omnes eruditi fuerint a Deo ſecreta, intimaque Spiritus ſancti infuſione, per quam oſtendit illis brevi temporis ſpatio veritatem, & certitudinem doctrinæ, quam Jeſus Chriſtus illis tam frequenter nuntiaverat, dum verſaretur cum illis: ita ut intellectus eorum, voluntas, & lingua nihil conciperet, amaret, & prædicaret, niſi cæleſtes veritates, ſtatim ac ſpiritu eodem repleti fuerunt: *Repleti ſunt omnes Spiritu S., & cœperunt loqui.* (*Act. 2.*) Ita Sanctus N. intrinſecus in eadem ſchola eruditus fuit, & hauſit ex fonte eodem plenam, claram, integramque Scripturarum intelligentiam. Vitæ illius ſcriptores docent, illum in ictu oculi aſſecutum fuiſſe verum ſenſum myſteriorum, quæ continent, in obſcuritate ſua, ipſumque inter amicos dicere conſueviſſe, ſibi in hoc ſtudii genere non alios fuiſſe magiſtros, quam quercus, & fagos, quia in agris præſertim, atque nemoribus acceperat per meditationes, & preces vivida lumina, quæ in operibus ejus eniteſcunt. Stylus Sacræ Scripturæ, qui ubique videtur effuſus, ſatis oſtendit, illum hauſiſſe ex hoc inexhauſto fonte, ex quo Apoſtoli quoque, ſublimes cognitiones ſuas hauſerant: neque ille uti potuiſſet divinis hiſce locutionibus tanta vi, ac facilitate, niſi plenus fuiſſet Spiritu S., qui eaſdem divinitus inſpiraverat. Undenam fit, quod ipſi adeo parum proficimus in Dei, & veritatis cognitione? Niſi quia majorem æquo ſenſibus noſtris licentiam permittimus; niſi quia ſpiritus noſter ſeſe effundit extrinſecus, & ut ita dicam extra ſe evagatur; niſi quia per ſenſus tot ultra citraque tranſeunt imagines, atque phantaſmata, quæ nos corrumpunt, vel ſaltem diſſipant, & vetant, ne mentem ad objecta cæleſtia transferamus. Hinc S. Paulus Apoſtolus dixit: *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt.* (*1. Cor. 2.*) Mirum igitur eſſe non debet, ſi Sanctus N. tantos, ac tam celeres in ſcientiam Sanctorum progreſſus ediderit: quoniam perfecte ſeſe colligebat, & vix permittebat, ut ſenſus ſui iis perfungerentur officiis, quæ erant neceſſa-